MASTER NEGATIVE
NO. 93-81321-10

AUTHOR:

ZIEGEL, HANS

TITLE:

DE IS ET HIC PRONOMINIBVS...

PLACE:

MARPVRGI CATTORVM

DATE:

1897

Master Negative #
93-81321-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Ziegel, Hans, 1874-
De is et hic pronominibvs qvatenvs confvsa sint apvd antiqvos; dissertatio... qvam... scripsit Han Ziegel... Marpvrgi Cattorvm, typis Friderici, typographi academici, 1897.
67 p. 22½ cm.

Thesis, Marburg.

422670

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/23/93 INITIALS RE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE IS ET HIC PRONOMINIBVS QVATENVS CONFVSA SINT APVD ANTIQVOS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM MARPVRGENSIVM ORDINE RITE
IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HANS ZIEGEL
SCHWERINENSIS.

MARPVRGI CATTORVM.
TYPIS FRIDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCLXXXXVII.

Dissertatio a philosophorum ordine d. XXVIII m. Aprilis a. MDCCCXCVII adprobata.

THEODORO BIRT

SACRVM.

In libris manuscriptis, quibus scriptores Latini antiqui nobis traditi sunt, pronominis *is* formae pluralis numeri nonnullae diversum in modum scriptae sunt. Constat enim et *ei* et *ii* et — quamvis id rarius — *i* scripturas ad nominativum, et *eis* et *iis* et *is* ad dativum sive ablativum significandum sine ulla distinctione, ut videtur, adhibitas esse. Eos vero qui nostris temporibus scriptores Latinos ediderunt et ipsos eadem varietate usos neque certam scribendi legem secutos esse consentaneum est. Praecepta enim a quibusdam viris doctis de ea re data non ab omnibus probantur. Ritschelius enim, ut exemplum ponam, cum Fleckeiseni Brixii Lorenzii assensu, in prisca latinitate *ii* et *iis* formas prorsus repudiavit atque ubicumque traditae sunt in *ei i*, *eis is* mutandas esse censuit. Quod, ut hunc afferam, C. Wagener[1]) improbat aliique velut Lachmannus[2]) neglexerunt. Neque quod Brambachius[3]) primo fere p. Chr. saeculo *ii* et *iis* formas praedilectas fuisse edixit ab eius temporis librorum editoribus respici solet.

Caremus igitur in hac re certa scribendi ratione. Sed hoc vel ea re excusatur quod ne in antiquis quidem inscriptionibus illae formae satis distinguebantur. Itaque, praesertim cum omnes quas dixi formae eiusdem notionis sint, scriptionis varietatem non aegre ferimus.

Maioris autem momenti est, quod etiam pronomen *hic* aliquatenus cum *is* pronomine confusum est. Nam non solum

---

1) Cf. Fr. Neue, Formenlehre d. lateinischen Sprache. 3. Aufl. v. C. Wagener. 2. Bd. Berl. 1892. p. 383.

2) Cf. versus Plautinos in Lucretii editionis clarissimae p. 262 adnot. ad II v. 934 ab eo allatos.

3) W. Brambach, Die Neugestaltung der latein. Orthographie (Lips. 1868) p. 323.

saepissime codices ita inter se discrepant, ut altera parte pronominis *hic*, altera pronominis *is* forma tradatur, sed iam in vetustissimis codicibus *hi* et *his* ibi scriptum videmus ubi ex solito dicendi usu *ei* (*ii*) et *eis* (*iis*) flagitatur et vice versa (quamvis hoc quidem rarius) *ei eis*, ubi *hi his* desideramus.

Talibus igitur locis num editori lectionem traditam immutare liceat, quaeritur. Hanc quaestionem ab editoribus diversa ratione solutam esse cum admiratione animadverti aliosque animadvertisse arbitror. Quod ibi potissimum, ubi pronomen ad relativum spectat quod sequitur, cognosci potest. Solent enim in tali structura alii *hi* et *his* sedulo retinere, alii *is* pronominis formam substituere. Quod nonnullis exemplis ostendam: Videmus enim, ut hos afferam, F. Marxium in Auctoris ad Herennium, Joannem Vahlen in Ciceronis de legibus librorum editione, A. Luchsium in Livianis libris XXVI—XXX, Valentinum Rose et Hermannum Müller-Struebing in Vitruvi de architectura libris, ubicumque in codicibus ante relativum aut *hi* aut *his* ita scriptum est, ut a solita dicendi ratione abhorreat, pronominis *is* formam rescribere. Conferas

Auctoris ad Herennium Marxianae editionis

p. 188, v. 4 (I 2, 2): *de iis rebus — quae*, in codd.: *his*.
p. 191, 5 (I 4, 7): *Aut de iis quae ad rem publicam pertinent aut ad eos ipsos*, codd.: *his*.
p. 192, 14 (I 6, 9): .. *ab iis qui ante contra dixerunt*, codd.: *his*.
p. 197, 13 (I 9, 16): *De iis rebus quibus*, codd. *his*.
p. 259, 9 (III 3, 5): *iis rebus, quas*, codd.: *his*.
p. 270, 19 (III 11, 20): *ab iis qui ⟨non⟩ inscii sunt* codd.: *his*.
p. 292, 20 (IV 3, 6): *ab iis qui artem nescierunt*, codd.: *his*.
p. 299, 9 (IV 8, 12): *in iis qui violassent*, codd.: *his*.
p. 336, 5 (IV 30, 41): *ex iis quae ante dicta sunt*, codd.: *his*.
p. 348, 14 (IV 38, 5): *in iis quos defendimus*, codd.: *his*.

Ciceronis de legibus librorum a J. Vahlen editorum

p. 29, 3 (I 9, 27): .. *in iis libris quos legistis* ... ubi codd. ABH: *his*.
p. 29, 8 (I 9, 27): *ab iis quorum ex prima et inchoata intelligentia genera cognorit*... codd.: ABH: *his*.

p. 68, 8 (I 24, 62): .. *ab iis qui se ipsi velint nosse*.. ABH: *his*.
p. 143, 5 (II 22, 57): .. *ii qui conditi sunt*.. ubi A: *hii*, BH: *hi*.

Livi ab urbe condita libr. ab A. Luchsio editorum

p. 75, 9 (XXVII 7, 3): .. *iis fere congruentia, quae in litteris fuerant*.. PV: *his*, F: *hiis*.
p. 144, 1 (XXVII 44, 8): ... *in iis locis quibus*.., sed PV: *his*, F: *hiis*.

Denique Valentini Rose Vitruvianae editionis

p. 11, 1 (I 1, 17): ..*ab is qui sunt lecturi*.., sed codd. GH: *his*.
p. 16, 14 (I 4, 2): *ex is quae non sunt animalia*, GH: *his*.
p. 17, 8 (I 4, 5): *ab is regionibus quae*.. *flatus*.. *possunt spargere*, GH: *his*.
p. 18, 24 (I 4, 9): .. *in is locis quibus* .. *oppida* ... *constituebantur*, GH: *his*.
p. 34, 21 (II 1, 4): *haec* .. *ex is quae supra scriptae sunt originibus*.., GH: *his*.
p. 59, 4 (II 9, 14): *is municipalibus qui* .., GH: *his*.
p. 100, 6 (IV 7, 4): *modulis is qui* .. *postulabuntur*, GH: *his*.
p. 133, 26 (IX praef. 6): *ab is qui* .. *notitiam habent*, GH: *his*.
p. 145, 15 (VI 8, 1): *is qui communi sunt fortuna*, GH: *his*.
p. 179, 22 (VII 9, 6): *ex is locis qui sunt proximi aerariis metallis*, GH: *his*.
p. 196, 19 (VIII 3, 10): *in is locis et ea terra quibus nascitur*, GH: *his*.

Hi loci collati sane sufficiunt. Audent igitur etiam cautissimi viri docti — veluti J. Vahlen — his in rebus consensum codicum despicere atque neglegere.

Altera parte ex editionibus, in quibus *his* et *hi* formae ante relativum tolerantur, has affero: Plini Naturalem historiam a Detlefsen editam; nec non libros recentioris memoriae, veluti: Augustini De civitate dei, quos Dombartius, Benedicti regulam, quam Woelfflinius edidit. Plurima autem eius rei exempla in veteris novique testamenti interpretationibus, paene innumerabilia in libris iuridicialibus inveniuntur: de quibus infra accuratius nobis disputandum est. Conferas

Plini Nat. hist. primum potissimum librum, edit. Detlefsen:
p. 29, 20: *De his quae tertiam naturam habent animalium.*
p. 29, 23: *De his quae silicea testa cluduntur.*
p. 30, 14: *De his quae uncos unguis habent.*
p. 30, 15: *De his quae digitos habent.*
p. 32, 26: *De his animalibus quae ex ligno aut in ligno nascuntur.*
p. 44, 4: .. *ex his quae in hortis seruntur.*[1])

Sed enim iam apud Cornelium Celsum De medicina ed. Darembergio, item apud Valerium Maximum ed. Kempfio locos prorsus similiter conformatos inveniri memoro.

Adde ex Augustini de civitate dei libris a B. Dombart editis hos locos:
vol. I p. 36, 22 (I 26): *De his quae fieri non licent.*
vol. I p. 48, 7 (II 2): *De his quae primo volumine expedita sunt.*
vol. I p. 128, 20: *De his quae primo volumine disputata sunt,* etc. etc.: cf. vol. I 129, 28. 144, 6. 177, 19. 195, 22. 214, 17. 320, 24. 377, 17. 434, 28. 468, 4. 468, 22. 496, 6; vol. II 139, 10. 158, 28. 163, 20. 175, 13. 183, 24. 196, 18. 198, 11. 206, 12. 209, 10. 209, 11. 221, 28. 254, 19. 357, 16. 456, 2. 457, 2. 459, 8. 459, 22. 460, 7. 461, 2. 532, 12.

Omnibus his locis *his* ante relativum traditum approbatur.[2]) Etiam *hi* nonnusquam ante relativum inveni:
I 355, 5 (X, 1): *hi quos .. colendos putant.*
II 469, 20: *An hi qui — ad haereses transierunt vel hi qui .. criminose vivere perstiterunt.*

Denique in Benedicti Regula *his* ante relativum invenitur locis qui sequuntur (paginae sunt editionis Woelfflinianae): in capitulorum indice (p. 5 sqq.) legitur *de his qui*: v. 27 = cap. XXVI, 1; v. 31 = cap. XXVIII, 1; v. 49 = cap. XLIII, 1; v. 51 = cap. XLIV, 1; v. 53 = cap. XLV, 1; v. 54 = cap. XLVI, 1. Porro cap. IV, 55: *his qui diligunt eum*; V, 2: *his qui ... existimant*; XVIII, 29: *exceptis his qui .. sequestrantur*; XLVIII, 39: *his qui ... deputati sunt.*[1]) Cf. praeterea: LV. 19: *hii qui*; LXV, 16: *hi qui.*

1) *Iis* in hoc libro ante relativum non saepius quam semel scriptum vidi: cf. 62, 30: *de iis quibus in aqua et in terra victus est.*

2) Ceterum, *eis* ante relativum scriptum non deest. Cf.:
I p. 124, 29: *eis cladibus quas Romani acceperunt.*
II p. 97, 13: .. *eis qui diluvio perdendi erant.*
II p. 214, 18: .. *in eis libris, qui scriptis ipsius copulantur vel in eis quos ipsius esse non dubium est.*
II p. 459, 22: *De his qui non omnibus sed eis tantum qui apud catholicas sunt renati ... indulgentiam pollicentur.*

Quibus locis omnibus multisque aliis viri docti *hi* et *his*, etiam ubi legem sermonis frangere videntur, toleraverunt. Solent igitur editores plerumque ea uti ratione, ut formas *hi* et *his*, ubi usui repugnant, in libris qui ad antiquam atque incorruptam latinitatem pertinent corrigant, in libris aetate inferioribus conservent.

Tamen etiam haec ratio in editionibus interdum neglecta est: cf. e. g. Flori a Rossbachio nuper editi locum, ubi, sane non sine causa, *his* quod traditum, in *is* mutatum est (p. 35, v. 20): .. *his moribus, ea virtute ... fuisse* .., quo loco Rossbachius *is* refecit. Quod qua de causa fecerit v. d., satis perspicuum est; minus tamen perspicuum, cur apud scriptorem qui ad relativum nullum nisi *is* pronomen referre solet — veluti apud Plinium vel apud Celsum — tot loci, quibus *his qui* traditur, minus emendatione egere visi sint.[2])

Illa regula a Guilelmo Hartel[3]) expressis verbis defenditur. Censet enim pronominis *hic* vim demonstrativam

1) Semel *eis* ante *qui* legitur: LXV, 3 *eis abbatibus, qui ordinant.*

2) In eadem fere structura Mommsen in Digestorum maiore editione *his* traditum comprobat
vol. II p. 28, 13: .. *ei aut his quibus legatum est* ..
Ceterum alios, qui eodem modo illam rationem neglegunt, nominare non difficile. Cf. quae Guilelmus Hartel — in Wiener Sitzungsberichte, vol. 71 ann. 1872, fasc. 4, p. 281 sqq. — de K. L. Rothii editione Nepotis et quae Michaelis Petschenig — in eorundem actorum vol. 93 ann. 1879, p. 365 sqq. — de scriptorum historiae Augustae editione censuerint, quam Hermannus Peter praestitit.

3) Cf. Eutrop u. Paulus Diaconus p. 59 (Wiener Sitzungsberichte, loco paulo ante allato): *Wenn wir bei Eutrop auf Grund der Überlieferung hi u. his wieder eingeführt haben* (Droysen in Eutropi illius editione has formas sustulerat), *so geschah es in der Meinung, dass dem Schriftsteller diese Pronomina in jener abgeschwächten Bedeutung geläufig waren,*

paulatim adeo minutam esse, ut ad extremum vix ab altero demonstrativo discerneretur pro eoque usurpari posset. Itaque — apud recentioris memoriae scriptores — etiam contra solitum usum *hi* et *his* formas, ubi extent, recipiendas esse. Ea in re omnes fere consentiunt. Sed quo tempore illa recentior aetas, qua libros sequi liceat, initium capiat, inter doctos minime convenit.

Deinde Hermannus Peter[1]) rationem ab Hartelio laudatam quamquam non improbat[2]), tamen non ita magna fide esse demonstrat; ita enim ne in recentiorum quidem scriptorum libris codicum testimonium certum esse:

Primum iam in classicorum q. d. vetustissimis libris mss. *hi* et *his* scriptum esse ubi nullo modo probari possit — veluti ante relativum.

Deinde a posterioribus quoque scriptoribus alias pronominis *hic* formas praeter *hi* et *his* rarissime cum relativo coniungi, saepissime vero alias formas pronominis *is* praeter nom. et dat.-abl. plur. (ita certe verba eius accipienda esse putavi): Omnino enim *i ei ii* et *is eis iis* a librariis vitari.

Denique in mss., idque sine dubio falso, *hii* pro *ii*, *hisdem* pro *iisdem*, *his* pro nominativo *is* saepenumero scriptum esse.[3])

die ihnen in der späteren Zeit eigen ist. Quod a Carolo Wagener in Philologi vol. 44 p. 305 probatur. Cf. etiam Neue-Wagener, Formenlehre der lateinischen Sprache[3] II p. 385.

1) Cf. Philol. vol. 44 p. 305 (De scriptorum historiae Augustae editionibus quibusdam).

2) Dicit haec: »*Es muss anerkannt werden, dass der Gebrauch der Demonstrativa in der späteren Latinität ein schwankender wird (Dräger I p. 71) und so könnte man sich allerdings versucht fühlen, an allen Stellen wo die Hss. h i oder h i s statt des classischen i oder i s lesen, das erste Pronomen zu belassen*« etc.

3) »*Dagegen aber muss Folgendes eingewandt werden: Auch in guten alten Hss. von classischen Schriftstellern, z. B. in denen Quintilians, steht für i u. i s sehr oft h i u. h i s, was ohne Bedenken geändert worden ist; ferner finden wir andre Formen von h i c nur selten in Beziehung auf ein Relativum so, dass der Gebrauch vom classischen sich wesentlich entfernt .... wohl aber andre Casus von i s in grosser Anzahl* (sc.: »in Beziehung auf ein Relativum«; illa quae sequntur: »*so dass der Gebrauch vom classischen sich wesentlich entfernt*« non huc pertinere videntur. Certe hic

Haec observata — eadem vero in multis aliis libris non raro inveniri infra probabo — sane sufficiunt ad confirmandam sententiam hanc: codicum auctoritatem hac in quaestione non multum valere. Sine dubio igitur illae formae quamvis bene traditae severe examinandae sunt atque sicubi a dicendi usu prorsus abhorrent emendare eas sane licebit, neque enim quidquam videtur contra dici posse.

At num prorsus abhorreant ab usu, plerumque in quaestione est. Permultis enim locis, etsi scriptorem alibi, ubi de eadem vel simili structura agitur, pronomine *is* usum esse animadvertimus, tamen pronomen *hic* ab eo usurpari non potuisse non licebit statuere neque codicum consensum neglegere. Nam quo scriptor pronomen demonstrativum referre voluerit, ita ut nullum dubium reliquum sit, cognosci saepenumero non potest. Plerumque enim, prasertim ubi non relativum sequitur, utrumque pronomen aliquam defensionem habebit. Nam illa duo pronomina iam classicis quae dicimus temporibus tantulum inter se distant, ut eis nonnumquam fere eadem vis inesse videatur. Quod paucis explicare non alienum esse puto. Sic enim, secundum utriusque pronominis definitionem quatenus lectiones iudicare liceat, apparebit.

De ea re haec fere inter omnes constant: maiorem vim demonstrativam *hic* pronomini inesse, minorem pronomini *is*. Demonstratur enim pronomine *hic* res praesens oculisque subiecta sive quasi praesens, id est animo praesens atque cogitationi.[1]) Contra pronomine *is* ad rem remotam animus advertitur[2]): quae res aut antea commemorata esse aut paulo

locus non satis planus) *und zwar zuweilen h i s neben Formen von i s, die mit einem e beginnen (z. B. Hel. 3, 8 fertur denique ab h i s qui — Hadrianum Veri scisse genituram et e u m quem e. q. s.), dagegen i e i i i u. i s e i s i i s ganz vereinzelt ... Bedenkt man nun, dass die massgebenden hss. öfters h i s d e m schreiben ... u. an sechs Stellen B u. P h i i, an zwei B ... ebenso den Nom. h i s, so wird es wohl nicht bezweifelt werden können, dass auch in der historia Augusta oft fälschlich von den Abschreibern die Formen h i u. h i s für i u. i s gesetzt worden sind.*«

1) Cf. Priscian. 17, 58 p. 1064: *Hic non solum de praesente, verum de absente possumus dicere, ad intellectum referentes demonstrationem.*

2) Ex hac definitione omnia fere efficiuntur, quae a viris doctis — veluti ab A. Draeger et R. Kuehner — de illorum pronominum

post sequi solet; quo *hic* quoque spectare potest neque tamen sine propria illa vi demonstrativa.[1])

Ad enuntiationem igitur relativam, ut illorum pronominum differentiam exemplo aptissimo explanem, *is*, non *hic* referendum est. Si tamen *hic* interdum cum relativo coniunctum videtur esse, vocula re vera ad relativum non pertinet, sed aut, ubi relativum antecedit, res quae in relativo enuntiato affertur nobis iam nota est et iterum quasi digito monstratur aut, relativo sequente, ratio rursus duplex statui potest: ut aut de re praesenti agatur aut de re antea iam commemorata quae quasi praesens ante oculos ponitur. Nullo igitur modo *hic* ad enuntiationem relativam quae sequitur ipsam simpliciter referri potest.[2])

Haec fere sunt quae in universum de illorum pronominum usu et differentia contendere liceat: quae tamen saepissime, ubi utrum pronomen traditum sit dubitatur, ad lectionem diiudicandam minime sufficiunt, quoniam persaepe fit, ut ex ceteris non satis appareat, utrum scriptor maiore vi an minore aliquid significaverit.

Sed facilius quam reliqui ei loci perspici solent, ubi pronomen aut ad rem re vera praesentem aut ad solum enuntiatum relativum quod sequitur spectat: talibus enim potissimum locis non est scribentis decernere, utrum pronomen usurpetur.

Tamen etiam inter hos locos, imprimis ubi de re praesenti agitur, multi inveniuntur, quibus, quo pronomen pertineat non

---

differentia explicantur exemplisque illustrantur. Sed notabile fortasse: pronomen *is* non ad aliam atque tertiam personam spectare, nisi ubi idem fere atque *talis* eo significatur, cf.:

Cic. fam. 12, 147: *haec is feci qui sodalis eram*;

Cic. fam. 5, 12, 6: *tu is es, qui quid sis nescias.*

Solet enim prima persona pronomine *hic*, altera pronomine *iste* exprimi, cf.: A. Draeger, Historische Syntax der lateinischen Sprache, I² p. 84 (§ 40); R. Kuehner, Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache, II p. 450 (§ 118 a). Denique illi viri docti — ut hoc quoque afferam — docent pronomini *ille hic*, non *is*, opponi solere: cf. Draeger, I p. 85 (§ 42).

1) Cf. Draeger, I p. 84 sq. (§ 40); Kuehner, II p. 453 (§ 118, adn. 2).

2) Cf. Kuehner, II p. 453 (§ 118, adn. 2). Osanni excursum VIIII in Ciceronis de re publica librorum editione (p. 456).

satis evidenter cognoscitur, quia, num res praesens afferatur, plerumque nisi ex ipso pronomine certo concludere non licet.[1])

Restant igitur ei loci, ubi pronomen cum relativo sequente coniunctum videmus: et de his potissimum cum fructu aliquo disputari posse videatur (cf. locos supra allatos). Sed ne inter eos quidem incerti desunt, quoniam — quod e supra dictis apparet — pronomen nonnumquam, quamquam ante relativum positum est, tamen aut ad rem paulo ante commemoratam aut ad rem praesentem referri potest; quibus locis utrum tandem pronomen scribendum sit saepe dubium manet.

Sed enim aliis de causis de pronomine nonnumquam dubitari non potest, veluti cum diversae formae pronominales inter se respondent: cf., ut exemplum ponam, quas in Vitruvi de architectura libr. VIII 3, 10 (ed. Rosianae p. 196, 19) tradita videmus: »*in his locis et ea terra*«, ubi haud dubie cum editoribus *iis* ex *his* corrigendum est. Sive, cum pronomen in eminenti structurae loco, velut in initio, positum est, ut manifesto summa vi ad rem quasi aspectui subiectam referri debeat. Cf. e. g. Cic. De legibus II, 7, 16: *His enim rebus imbutus*, ubi J. Vahlen, quamquam cod. A *is* B *'is*, unum H, qui *his* exhibet, aptissime sequitur.

Huc ei quoque loci pertinent, ubi de pronomine agitur, cui pronomen *ille* oppositum est: quibus, ut supra adnotavimus, pronominis *hic* forma sine dubio praeferenda est, cf. Liv. XXVIII 19, 7: ... *cum illis prope sine via* ... *certari*, *ab his* ... *sceleris poenas expetendas esse*, ubi *his* A. Luchs in editione codicem P secutus, *iis* V *hiis* F.

Sine dubio etiam aliis de causis, utrum pronomen a scriptore usurpatum sit, nonnumquam dispici poterit, quas tamen enumerare supersedeo.

Hoc certe iterum dicendum est: ubi pronomen nullo modo ad aliam rem nisi ad relativum quod sequitur referre licet, constat inter omnes estque in concesso *ei* et *eis* scribendum esse, non *hi* et *his*; eique loci saepius quam ceteri inveniuntur. Itaque tales potissimum loci nobis, qui in pronominum formas

---

1) Cf. exempla quaedam ab Osanno allata in excursu.

confusas inquirere suscepimus, tractandi erunt — quamquam etiam intra angustiores hos fines non raro verisimilitate quadam contenti esse cogimur.

Neque obliviscendum est fieri potuisse ut vitiosum genus loquendi, ubi primum in vulgari sermone ortum erat, etiam ad optimae aetatis scriptores deflueret. Itaque interdum ne in optimae quidem aetatis scriptoribus inusitatam et pravam lectionem ita emendare licet, ut nullum dubium supersit; cf. e. g. Vitruvium.

His cognitis efficitur editorem plerumque nulla re nisi codicum sive consensu sive potiorum auctoritate niti posse. At codicum auctoritas in hac re non multum valet; quippe qui spissas praebeant lectiones, quae, ut supra diximus, linguae legem frangere videantur. Ita tandem fieri non potuit quin viri docti hac in re omnino dissiderent neque certas leges sequerentur.

Sed ne eam quidem quaestionem, quomodo illa pronominum confusio orta sit, quisquam doctorum solvisse mihi videtur. Neque enim eis quae G. Hartel l. c. iudicavit rei propositae satisfactum est. Censuit enim ille ea de causa in certis quibusdam casibus pronomen *hic* cum altero esse confusum, quod eius vis demonstrativa paulatim deminuta esset: qua de re dubitari quidem non potest. Neque enim desunt in libris, aliquot saeculis post Augusteam aetatem scriptis, aliae etiam huius pronominis formae, quae vi demonstrativa adeo carent, ut ad incorruptam latinitatem non quadrent. Quin etiam eo perventum est ut ad articulum exprimendum eas adhibitas esse videamus. Cf. glossas Servii grammatici (Corporis Glossariorum Latinorum vol. II p. 508, 56; 509, 13. 22. 25. 27. 47; 511, 4, 17. 22. 28. 31. 38. 42. 48 etc. etc.); idiomata codicis Parisini (corp. II, 549 sqq.) etc.; Prisciani instit. gramm. VII, 14 (Keil II p. 297): *hi dii, his diis, ab his diis.*

Fortasse hoc quoque afferre licet, quod apud scriptorem quendam sequioris aevi etiam pronominis *idem* formae ex *hic* pronomine derivatae inveniuntur. Videas Claudiani Mamerti opera ab A. Engelbrecht (Vindobonae 1885) edita, ubi non solum *hisdem* (p. 47, 17. 65, 22. 83, 1. 159, 11), sed etiam *huiusdem* (137, 5) scriptum videmus.[1]) Non multum igitur illis certe temporibus pronomina inter se distabant.

Tamen haec observatio quamvis recte instituta non sufficit; neque enim inde idoneum explicatum habet, quod voces *hi his*, *ii iis* non solum interdum, sed etiam omnino permixtas et in unum confusas esse videmus. Quod concedet qui haec mihi pensitaverit:

Primum multo ante illud tempus, quo pronominis *hic* vis demonstrativa omnino imminuta est, has duas formas quae sunt *hi* et *his* usurpari videmus, ubi *ei* et *eis* flagitantur — quod infra locis nonnullis ex inscriptionibus allatis apparebit.

Deinde *hi* et *his* omnino saepissime, ceteras formas raro vi sua demonstrativa destitui videmus. Scilicet ad relativum, quod sequitur, permultis locis *hi* et *his*, nusquam fere ceteras formas spectare invenimus. Quod maximi nimirum ponderis est et suum sibi exigit explicatum.

Denique ubi pronominis *idem* dativus sive ablativus significandus erat, iam inde ab Augustea aetate *hisdem* usurpabant, similiter nonnulli etiam *hidem*: nusquam autem illa quidem aetate alia pronominis *hic* forma syllabae *dem* praefixa invenitur — nisi forte apud illum scriptorem, cui, postquam *isdem* et *hisdem* compluria iam per saecula confusa erant, alias quoque eius modi voces inauditas componere placuit.[2])

Scriptores igitur casibus *hi* et *his* longe aliter atque ceteris eiusdem pronominis usi sunt: id quod postea multis exemplis confirmabitur. Quam rem ut explicemus illud argumentum, quod ex deminuta vi demonstrativa sumptum est, minime sufficere manifestum est. Immo de *hi* et *his* separatim agendum et iudicandum erit.

Itaque, ut tandem lux afferatur difficultati, haec, si placet, mecum consideres. Videmus enim nullas illorum pronominum formas inter se tam similes esse, quam *hi* et *i*, *his* et *is*. Has nempe iam in prisca latinitate in usu fuisse constat, nisi quod etiam *ei* et *ii*, *eis* et *iis* accedebat. Confirmatur id quidem

1) Cf. A. Engelbrecht, Die Sprache des Claudianus Mamertus (Wiener Sitzungsberichte 110 p. 423 sqq) p. 517.

2) Cf. quae de Claudiano Mamerto paulo ante attulimus.

inscriptionibus: in quibus *is* scriptura ex synizesi orta iam extremis liberae rei publicae temporibus nonnumquam (cf. CIL I 198, v. 48), posterius saepissime invenitur, *i* autem, quamvis rarius inveniatur, invenitur tamen: cf. CIL II n. 1964, col. 1 v. 16; CIL IX n. 1618, v. 12. Sed has formas monosyllabas iam Plauti temporibus in vivido sermone exstitisse non paucis locis Plautinis, ubi unius syllabae voces flagitantur, comprobatur. Unde efficitur contractas formas *i* et *is* in codicibus saepius traditas non falso scriptas esse.[1]) Ceterum posteriore certe aetate, quamquam in illis vocibus plerumque littera *i* geminata scribebatur, tamen unam tantum vocalem enuntiari solitam esse e gravissimo Prisciani loco, ut alia omittam, apparet. Cf. Prisciani instit. gramm. VII, 14 (Keil, Gramm. Lat. II p. 297 sq.):

Et oportet scire in hac declinatione, quod omnes obliqui casus tam singulares quam plurales eundem numerum syllabarum servant quem genetivus singularis, absque genetivo plurali, qui una syllaba vult superare, nisi per concisionem proferatur. unde dii et diis, cum pro monosyllabis ponuntur, per synizesin sunt accipienda sive magis per synaeresin e et i in unam syllabam. veteres enim i finalem, quae est longa, per ei diphthongum scribebant, longas autem vocales vetustissimi etiam geminare solebant. quae vero secundum analogiam proferuntur, id est dei et deis disyllaba sunt. Lucanus in II: »o utinam caelique deis Erebique liceret.« idem accidit etiam in pronomine ei et ii, eis et iis. e quibus illud apparet, quod vetustissimi, ut supra diximus, pro una longa vocali solebant duas scribere. ecce enim vestigium antiquitatis in his adhuc servatur, cum duae i pro una longa ponantur tam in supra dicti nominis quam pronominis ternis casibus: hi dii his diis ab his diis, ii iis ab iis. nam si dicas dei deis a deis, ei eis ab eis disyllaba sunt sicut ostendimus. Iuvenalis in V: »Implet et ad moechos dat eisdem ferre cinaedis.« puto autem, quod in his quoque differentiae causa servata est geminatio i, ne si di et dis et i et is dicamus, dubitatio fiat

1) Cf. Neue-Wagener II p. 381 sqq.

significationis. nam di etiam praepositio est et dis et praepositio est et i et is verba. in pluribus autem invenis differentiae causa huiusce modi quasdam fieri syllabarum vel litterarum additiones vel ademptiones vel accentuum mutationes; itaque in compositione idem et isdem per unam i scripsisse, quia nulla confusio fit significationis, inveniuntur pro eidem et eisdem.[1])

Ex hoc loco, qui manifesto argutiis abundat, tamen pro certo concludere licet in illis vocibus quamquam duplex *i* littera plerumque scribebatur, unam tantum enuntiari esse solitam, quod infra multis locis collatis confirmabimus.

Quae cum ita sint, formae *hi* et *his* a monosyllabis *i ii, is iis* iam nulla re nisi littera *h* differebant; quam differentiam tantulum valuisse, ut progrediente tempore ab hominibus animadverti desineret, non difficile est ad demonstrandum.

Recordemur enim Latinae linguae homines tali aspiratione usos esse videri, qualis longe a nostra differt. Quod imprimis Seelmannus[2]) tam accurate docuit, ut repugnare vix possis. Nam illi non veram et densam illam litteram *h*, quam nos, ante vocalem per se distinctam enuntiare solebant, sed vocalem tantummodo proximam aspirabant, i. e. aspirationem simul cum vocali, non ante vocalem efferebant. Eius modi aspiratione ne eae quidem vocales quae in vocis initio omissa littera *h* scribebantur in pronuntiatione carebant. Neque earum aspiratio ab ipsa littera *h* distabat nisi ea re ut littera *h* maiore vi sive »aspero spiritu«, altera, in scribendo prorsus neglecta, minore vi sive »spiritu leni« pronuntiaretur. Quod discrimen tantulum erat, ut auribus quae nimia subtilitate

1) Cf. de hoc loco Brambach, Neugestaltung der lat. Orth. p. 140, Neue-Wagener II p. 381.

2) Die Aussprache des Latein nach physiologisch-historischen Grundsätzen von E. Seelmann, Heilbronn 1885, p. 254 sqq. Praeterea cf.: W. Corssen, Über Au-sprache, Vocalismus und Betonung der lat. Spr. 2. Aufl., Leipzig 1868–1870, vol. I p. 103 sqq.; W. Brambach, Die Neugestaltung der lat. Orthographie, p. 283 sqq.; G. Curtius, Grundzüge der griechischen Etymologie, ed. V., Leipz. 1879, p. 684; R. Kuehner, Gramm. I § 37, 3 (p. 37); Fr. Stolz, Histor. Gramm. der latein. Sprache I, 1, Lpz. 1894. p. 292.

carebant, vix perciperetur: itaque antiquissimis iam temporibus occasione data sublatum esse intellegitur.

Numquam enim, ut hoc exemplo utar, in voce *anseris* litteram *h* scriptam invenimus, quam tamen olim enuntiatam esse e comparata Graeca lingua concluditur. E contrario nonnullis vocibus, veluti voci *halandi*, omnium temporum consensu littera *h* anteponitur, quae e principio aspiratione caruisse videtur. Neque igitur mirum est interdum dubitari, utrum vocis alicuius prima littera vocalis sit an littera *h*. De qualibus vocibus non solum minus eruditos — quamquam eos praecipue: e quibus Arrium illum a Catullo carmine LXXXIV irrisum propono — sed etiam viros doctissimos, veluti Varronem, iam ab extremis liberae rei publicae temporibus erravisse vel incertos fuisse constat. Quod e multis grammaticorum testimoniis, quae e. c. apud Seelmannum composita denuo exhibere nolo, efficitur. Nisi quod Varronem afferam, qui *ortus non hortus*, Verrium Flaccum, qui prave *alicam* pro *halica* praetulit; sicut etiam in Festi lexico *irquitallus* sub *i* littera recensetur. Idem confirmatur antiquis inscriptionibus [1]), ubi *h* littera et in verborum initio ante Augusteam aetatem nonnumquam, postea saepissime omissa est: vide *arrespex* CIL I 1348; *er(edes)* ibid. 1034 al. Spuriam *h* ante II p. Chr. saeculi alteram partem rarissime inveniri dixit Corssen l. c. p. 110; quod refutatur vel illo Arrio sive Harrio apud Catullum obvio; mirum etiam quod Festus p. 71, 9 (rec. O. Müller, Lips. 1839) *heres* pro *domino* apposuit, ubi *erum* intellegendum esse commendat glossariorum posteriorum comparatio. [2])

Huius perturbationis exempla tempore progrediente multo augescere videmus, ita ut postea libri mss. eis abundent. De qua re multarum editionum praefationes appendicesque conferendae sunt, ubi eius modi exempla sunt collecta, e quibus commemoro: Ribbeckii Vergiliana prolegomena (cf. indicem p. 421 sqq.); Kelleri epilegomena Horatiana (cf. ind. p. 844); Studemundi apographorum — codicum

1) Cf. Brambach l. c. p. 283; Seelmann p. 263.

2) Debeo haec, ut multa, Theodoro Birt, magistro venerabili (cf. Mus. Rhen. supplem. LII in appendice p. 194).

Ambrosiani Plautini et Veronensis Gaiani — indices (cod. Plautin. p. 507, Gai. p. 318.) (Cf. Corssen I, 107.)

Ita verisimile fit ad extremum etiam a viris eruditissimis illam antiquam aspirandi differentiam, quam servare studebant — cf. Quintilian. I 6, 21, Augustin. confess. I, 18 etc. — tamen quia in vulgari sermone iam pridem amissa est in enuntiando prorsus esse neglectam.

Quae cum ita essent, fieri non potuit, quin etiam in pronominis *hic* formis pronuntiandis primum rarius, postea saepissime littera *h* omitteretur, quod his, quae in antiquis inscriptionibus scripta videmus, comprobatur [1]):

hanc ostiam CIL I, 819. *anc* CIL VIII, 152. *ic* ibid. IV, 1321; de Rossi I, 362 (386 p. Chr.); ibid. 562 (406 p. Chr.); CIL III, 809; ibid. V, 6400; ibid. VIII † 2011. 5257; Le Blant I. G. 576. *ihc* Le Blant 575. *oc* CIL V, 4488; ibid. VIII, 9192; Bull. ep. d. l. G. II p. 215 (Vichy IV). *oc* etiam CIL III, 5292 (cf. Bücheler, carm. epigraph. 637). *uius* CIL V † 1741. *unc* CIL V † 1642; ibid. IX, 2880; ibid. IX, 306 (bis). Cf. etiam *aduc* — CIL V, 6244 — de qua voce in Probi app. (Keil gramm. IV 199, 17) ita iudicatur: *adhuc non aduc*.

E contrario ei loci non desunt, ubi pronominis *is* formis littera *h* falso anteposita est: cf. CIL III, 3917: *heius*; *eres heiu* (pro *heres eius*) ib. VIII, 3520. Praeterea *heius*, Ephem. epig. vol. VII n. 701. Aliis denique locis *his* pro nominativo sg. masc. scriptum est: cf. legem Ursonensem, anno 710/44 scriptam (editam a Th. Mommsen et Huebner in Ephem. epigr. II, 105. 221, III, 87; deinde a Brunsio in font. iuris Roman. antiqu. p. 119 sqq. aliisque), tabul. III col. 2, v. 6: *his qui rem quaere/re* (= *is qui rem quaeret*). Cf. praeterea: CIL XI, 5265 (Dessau 705) v. 30: *his sacerdos*; CIL XIV, 497: *his* (pro nom. sg.). Orelli-Henzen 5680 (post 326 p. Chr.): *hac his* (pro *ac is*); CIL XIV, 497 *his* eodem sensu.

Eadem iam in vetustissimis codicibus mss. inveniuntur. Cf. e. g. Vergili Aen. V v. 708: *isque his Aeneam solatus vocibus infit*, ubi cod. Romanus: *hisque*. Antholog. Latin. ed.

1) Cf. ante ceteros Seelmannum p. 265.

A. Riese n. 192, 4 (in codice Salmasiano). *is capiet palmam quem bona fata iuvant*. ubi *his* in AB. Cf. etiam Studemundi Gai institutionum Veronens. palimps. apographon, in cuius indice (p. 318 s. v. *his pro is nom. sg.*) quindecim loci collati sunt, quibus *his* pro nom. *is* scriptum est.

Iam sentis quo tendam. Nam eodem modo videlicet etiam de formis demonstrativis numeri pluralis, de quibus maxime agitur, errari potuit ac debuit. Exspectamus enim, quoniam illae formae *hi* et *ii i*, *his* et *iis is* monosyllabae nulla re nisi aspiratione differebant, eas in enuntiando primum nonnumquam, ad extremum autem, ubi aspiratio prorsus evanuit, omnino in unam coiisse. Sin autem coierunt, fieri potuit, ut illarum formarum inde a nescio quo tempore ne vis quidem ac notio distingueretur. Quae suspicio cum inscriptionibus — e quibus nonnulla exempla infra afferam — tum codicibus mss. comprobatur.

Ceterum talis confusio minus mira esse nobis videbitur, si alias quasdam eorundem pronominum formas posterius inusitatas in comparationem vocaverimus. Et primum quidem iam antiquiore tempore priscos dativos sive ablativos qui fuerunt *ibus* et *hibus* simili confusioni obnoxios fuisse suspicio est.[1]) Legitimam formam atque genuinam fuisse crediderim *ibus*; respondebant enim inter se ut *id* et *quid*, ita etiam *ibus* et *quibus*, fuitque huius quidem demonstrativi stirps primitiva pura et simplex *i* vocalis brevis.

Iam vero *ĭbus* pro pyrrhichio positum quamquam nusquam traditur tamen his locis cum magna evidentia restitutum est: Lucil. fragm. inc. 114 p. 147 (L. Mueller): *atque aliquos, ibus ab rebus clepsere foro qui*, quo loco, Varron. De ling Lat. 7, 5. 94 tradito, codd.: *ibi*, Scaliger: *ibus*, quod etiam metro flagitatur; Lucret. II, 87. 88 ... *neque enim mirum, durissima quae sint* || *ponderibus solidis neque quicquam a tergo ibus obstet*, ubi, pro codd. *tergibus*, *tergo ibus* recte dedit nescio quis.[1])

Dubitari fortasse possit de his Lachmanni emendationibus: Lucr. IV, 932—934: *principio externa corpus de parte necessum est*, || *aëriis quoniam uicinum tangitur auris*, || *tundier atque ab ibus crebro pulsarier ictu*, codd.: *eius* pro: *ab ibus*; Lucr. VI, 755: *sed natura loci ui ibus officit ipsa suapte*, codd.: *opus efficit*. Tamen *ĭbus* certe optime ad hos locos quadrat.

Contra *îbus* priore producta syllaba compluriens in libris scriptum videmus. Cf. Plaut. Mil. glor. v. 73. 74: *ut in tabellis quos consignaui hic heri* || *latrones ibus dinumerem* (ita Ritschl, Goetz; *denumerem* Leo) *stipendium*. Deinde cf. Titin. fragm. 59, com. Ribb. p. 142: *Eu ecastor, si sitis moratae ambae ibus pro ut ego moribus* (libri hoc loco Non. p. 486, 15 servato: ... *moratae sitis .. ibus ut pro ego maoribus*); nec non Pompon. 104, com Ribb. p. 241: *nunc quando uoluisti facere, fac uoluptati sies* || *Ibus* (»*sies Ibus* uel *sis ibus*« Lachmann. in Lucr. p. 262).

Restant hi loci, quibus num *ibus* scribendum sit dubium est: Plaut. Truc. 110, qui ita legitur in codd.: *ibi sibus pugnae et uirtuti de praedonibus praedam capere*; quem versum Schoellius ita restituit: *Ibust ibi pugna et uirtust de praedonibus praedam capere*; atque Bacch. 1, 2, 34 (142): *praesente* (*praesto* Leo) *ibus illic paedagogus ut siet.*[2])

Denique *hîbus* traditum videmus Curc. 506: *Eodem hercle uos pono et paro: parissimi estis hibus:* || *hi saltem in occultis locis prostant, uos in foro ipso*, ubi longa *i* servata est.

Haec forma *hibus* a pronominis *hic* (cuius stirps primitiva in *o* vocalem exibat) nativa declinatione abhorret. Ad quam fingendam ita ut accurate voculae *ibus* responderet analogiam formarum *his* et *îs* (*iis*) invitavisse crediderim. Id quod testi-

1) Cf. H. Schweizer-Sidler u. A. Surber, Grammatik der lat. Sprache^{2} I p. 120 et 122; Fr. Stolz, Lat. Formenlehre = Handbuch d. klass. Altertumswissensch., vol. II^{2} p. 349; R. Kuehner, Gramm. I p. 389; Neue-Wagener, Formenlehre^{3} II 386 sq.; Georges Lexicon d. lat. Wortformen (Lips. 1890) p. 320 s. v. *hic* et 365 s. v. *is*; Lucret. ed. Lachmann. (Berol. 1850) p 262 ad IV, 934.

1) Lachmannus enim hanc egregiam emendationem ascribit Havercampio, Munro Isaac Vossio, Neue-Wagener l. c. Abrahamo Preiger.

2) Non praetermitto in argumento Plautino (Capt. arg. 5) *ibus* scribi. Sed argumentis quod ad priscam latinitatem attinet non multam auctoritatem tribuendam esse constat.

monio est quantopere *his* et *iis* inter se responderint ac paene quasi cohaeserint.

Ceterum etiam hac de causa aptissime *ibus* et *hibus* conferuntur, quia ne has quidem formas in libris antiquis inter se disiunctas esse suspicio est. Fortasse igitur interdum *hibus* pro *ibus* rescribendum est (quod re vera Fleckeisenus Plaut. Mil. v. 74 commendavit). Quin etiam Birtius me induxit ad coniectandum: ubicumque *ibus* per *i* longam scribitur, veram lectionem fuisse *hibus*, quod si repones nusquam ineptum videtur esse. Ita enim fortasse facilioreme xplicatum habet, qua de causa *i* vocalis modo longa modo brevis appareat; vix enim sufficit huius mensurae ancipitis interpretatio a doctis recepta.

Haec hactenus. Simili autem modo, quo *hibus* et *ibus* eademque de causa etiam *hi* et *ii* (*i*), *his* et *iis* (*is*) in ipsa antiquitate confusa sunt. Quod primum quidem nonnullis exemplis ex inscriptionibus collectis illustrare mihi liceat.

Fortasse iam in Lege coloniae Iuliae s. Ursonensi anno 710/44 tabulae incisa *his* pro *iis* s. *is* lapsu lapicidae scriptum esse conici potest.[2])

Nam in hac tabula satis ampla quamquam pronomen *hic* nusquam usurpatur, nisi ad rem quae ante oculos versatur significandam,[3]) veluti ad coloniam sive legem ipsam, ubicumque vero scriptor pronomine cum substantivo, sine vi posito, ad rem paulo ante allatam retro spectat, *is* pronomen scriptum videmus (qualium locorum plures quam 150 numeravi), tamen duobus certe locis *his* ante substantivum ita collocatum est, ut non de re praesenti agatur, sed vocis alicuius paulo ante memoratae iterum mentio fiat idque sine ullo pondere. Cf. tab. III col. 1, v. 10:

II viri quicumque in ea colon(ia) mag(istratum) habebunt, ei de legatio | nibus publice mittendis ad decuriones referunto, cum || m(aior) p(ars) decurion(um) eius colon(iae) aderit, quotque de h i s rebus | maior pars eorum qui tum aderunt constituerit | it ius ratumque esto.

et tab. IV col. 1, v. 1:

| II vir ad quem de ea re in ius aditum erit, ubi iudicibus, apud quos ea res agetur, maiori parti earum planum factum non erit, eum de quo iudicium datum est decurionis loco indignum esse eum] || qui accusabitur ab h i s iudicibus, eo (!) *iudicio absolvi | iubeto.*

Bis igitur *his* pro *iis* videtur mihi scriptum esse; atque illo iam tempore ita errari potuisse his rebus confirmatur. Primum enim legis scriptori dativus s. ablativus simplicior *is* non ignotus fuit, quem semel scriptum videmus tab. II col. 2, 32: *it i s face | re liceto.* Deinde idem etiam pro nominativo sg. m. falso *iis* exaravit: cf. tab. III col. 2, 26: *cur i i s negotium facesset*; ad quod mendum induci non potuit, nisi iam tum *is* et *iis* idem fere sonabant sive ad idem significandum usurpata erant. Denique quod ad aspirationem spuriam attinet, sufficit eum tabulae locum conferre, ubi pro nominativo *is* falso *his* exaratum est: tab. III col. 2, 6: *h i s qui rem quaerere* (sic!) (pro: *is qui rem quaeret*). Quo accedit quod aliorum quoque mendorum haec tabula plena est.

Quoniam igitur locis duobus quos exhibui dat. sive abl. *his* certe non eadem vi demonstrativa qua ceterae eiusdem pronominis formae usurpatus est, conicere saltem licet ibi *his* pro *is* scriptum esse. Certe tum iam eius depravationis initium factum esse videtur qua, cum formae *his* et *is* permiscerentur, etiam notiones earum minus quam ceterarum inter se distabant.

Cuius confusionis antiquissimum quod mihi notum est exemplum indubitatum in lege Malacitana, inter annos p. Chr. 81 et 84 scripta, invenitur.[1]) In qua tabula ter *his* ante

1) Censent enim *ibus* e simplici stirpe *i* derivatum, *ibus* ex **eibus* ortum esse. Cf. Schweizer-Sidler l. c. etc.

2) Edd. Mommsen-Huebner, Eph. epigr. 2, 105. 221. 3, 87. Bruns, Font. iur. Rom. p. 119 aliique.

3) Eadem observavi in eis inscriptionibus a Brunsio in fontibus collectis, quae et eodem fere tempore et ante legem Ursonensem scriptae sunt.

1) Ed. in CIL II p. 256 n. 1964. Ceterum formae *his* quas ante legem Malacitanam relativo antepositas videmus facilem defensionem habent. Cf. e. g. Leg. arae August. Narbonensis inter annos 11 et 12—13 p. Chr. n. scriptae locum (CIL XII n. 4333): II (in latere) v. 8: *h i s legibus h i s que regionibus dabo dedicaboque quas hic hodie palam dixero.*

relativum ita legitur, ut non solum usum communem, sed etiam eius usum, qui tabulam concepit, violet et infringat. Ceteris enim locis, i. e. saepius quam quinquagies, *is* ante relativum usurpatur. Iam vero hos locos tres inspicias velim:

Col. 1, 3: *ex h i s quorum nomine professio facta erit.*

Col. 2, 19: *Iique custodes ab eo qui comitia habebit, item ab h i s positi qui honorem petent.*

Col. 2, 15: R. *Quid de h i s fieri oporteat, qui suffragiorum numero pares erunt.*

Quibus locis quod ille pari modo *his* scripsit, non inconsulto factum videtur. Idque eo facilius intellegitur, quoniam in tabula longe usitatior forma *is* est, quam *iis* aut *eis*. Numeravi enim 12 *is*, 2 *iis*, 1 *eis*.

Eiusdem confusionis exempla in alterius p. Chr. saeculi et sequentium inscriptionibus crebrescunt. Quorum tot, quot forte mihi in manus inciderunt, afferam. Quod non inutile esse puto, quoniam talium locorum collectione caremus. Dolet vero quod ad totum inscriptionum corpus perscrutandum tempus non suppetebat. Sat multum enim temporis laborisque in codicum antiquiorum scripturis excutiendis consumpsi.

Itaque haec pauca quae sequuntur sufficiant: videmus enim haec scripta in

epistul. praefector. praetor., anno 168 p. Chr. script.: CIL 9 n. 2438, v. 4: *cum h i s quae iuncta erant*;

in Donatione Statiae Irenes: CIL 6, 2, 1363, n. 10247, v. 20: *ab h i s omnibus ad quos ea res pertinebit*;

in Edicto Diocletiani: CIL 3, 801 sqq. (Dessau n. 642), s. II, 11: *in h i s locis ubi.*[1])

Multo saepius autem hoc modo in codd. mss. *his* et *hi* usurpantur. Quod non meliore aut vetustiore exemplo illustrari potest quam hoc. In palimpsesto Veronensi quo Gai institutiones nobis traditae sunt formae illae demonstrativae nullo modo distinctae sunt: conferas quae Studemundus in apographi indice orthographico (p. 390) collegerit. Dicit

1) Quae in eodem edicto II, 5 legimus: *h i s omnibus quae supra comprehensa sunt* videntur defendi posse.

enim haec: *Nominativi plurales masculini formae i i uel e i vix differunt a formis h i*; atque haec: *ablativi pluralis formae i i s uel e i s uel i s passim vix differunt a formis h i s.* Denique: *dativi pluralis masc. et fem. formae e i s uel i i s uel i s uix differunt a forma h i s.*

Iam ex his paucis exemplis efficitur abusum eum, quem primum casu sive imprudentia ortum videmus, aetate posteriore ita crebrescere, ut apertum sit: cum lapicidas tum eiusdem aevi librarios *his* et *hi* ante relativum et facile sibi concedere potuisse nec raro sibi concessisse. Cuius rei initium certe extremo primo p. Chr. n. saeculo — anno 81/84 — factum esse ex lege Malacitana plane apparuit. Potest vero iam prius sic peccari coeptum esse; nam quod mihi ex titulis ante annum quem dixi exempla certissima non innotuerunt, facile casui attribuas; solent autem publicae inscriptiones legesque tabulis incisae antiquiorem consuetudinem servare, consuetudo ipsa sermonis multa novare, quae in monumenta publicae auctoritatis sero recipiuntur. Itaque iam Plinium, Celsum aliosque consulto ante relativum formam *his* scripsisse, ita ut in editionibus eorum legitur, prorsus negare non licet.

Ita duo scribendi genera ex libidine videntur adhibita atque permixta esse; neque enim in locis quos attuli quamvis curiose perpendas cognosci potest alterum formarum genus ab altero esse distinctum. Quare adducimur, ut etiam alibi, ubi de demonstrativa notione pronominis magis ambigi potest, eandem confusionem admissam esse statuamus. Desierunt enim homines ad extremum omnino sentire *iis is* et *his*, *ii i* et *hi* (de *ei eis* postea videbimus) ad diversa pronomina pertinere.

Iam vero hunc promiscuum usum in inscriptionibus scriptoribusque posterioris aetatis vix aegre ferimus: sive enim *his* sive *iis* scribebant, semper *iis* intellegebant; spiritus asper quod adiciebatur, non ad grammaticam, sed ad orthographiam pertinet. Sed ea res magni momenti est propterea, quia fieri non potuit quin etiam classicorum q. d. libri a librariis magis minusve corrumperentur; nam facillime, qui illas formas in promiscuo habere solitus erat, alteram pro altera describere

potuit. His de causis codicum fides hac in re non ita magna esse dicenda est. Quae dubitatio haud raro etiam ipsis membranis ibi corroboratur, ubi lectiones inter se discrepantes offerunt. Consuetudine enim sive libidine librariorum saeculi fere IV libri antiquiores non infici non poterant.

Sed enim quaeritur num quid hac in usurpatione posteriore aevo mutatum sit. Postquam enim scribendi incertitudo nimis increvit, fieri potuit, ut inconstantiam illam respuerent scriptores sive librarii accuratiores, novam scribendi rationem anquirerent permiscendique usum tollere conarentur. Quaestio igitur exsistit, num etiam in libris saeculorum IV V VI VII summa diligentia exaratis, qui exstant, librarii his in rebus sine lege et ex mera libidine pronomina permutare perrexerint. Constat enim inter illas quae supersunt membranas nonnullas diligentissime scriptas et emendatas esse; itaque in eiusmodi praecipue codicibus aliquam certe aequabilitatem scripturae exspectamus miraremurque ea si prorsus desideraretur. Itaque codices ipsos sedulo consulere et legem in licentia quaerere meum esse putavi.

Huc pertinent imprimis et libri iuridiciales inter quos excellunt Digesta, codice Florentino s. VI/VII scripto optime tradita, et Testamenti veteris novique interpretationes. Quorum librorum, quoniam omnes perlegere non valui, aliquot perscrutatus sum.

In talibus igitur libris optime traditis pronominum confusio num omnino sit sublata videamus. Quod cum certo cognosci non posse intellegerem, nisi ne ulla quidem scribendi ratio quae huc pertinet neglegeretur, libros quos dixi totos pervestigare omnesque emendationes lectionesque notabiles et colligere et excutere meum esse mihi visum est.

Hac tandem via quae invenerim quaeque eis doceamur paucis explicanda sunt.

Videamus primum de pronominum dativo sive ablativo numeri pluralis.

Ad quem casum significandum in Digestis codice Florentino accuratissime traditis (edd. a Th. Mommsen, Berolini a. 1866—70) has formas adhibitas inveni. Numeravi

certo vel sine varia lectione tradita[1]) paulo pluribus quam 300 locis *eis* (inter quos paene triginta — 28 — ante relativum). Qui numerus his antiquis correcturis augetur. Videmus *eis* correctum a) ex *is*: vol. I, p. 33, 39 (F); I 125, 21 (F^2); II 455, 15 (*'e'i's'* F^2); II 949, 5 (F^2, ante relativum). — b) ex *his*: II 770, 28 (*his et* F^1, *eis* F^2); II 918, 24 (*eis*] *his* F^a).

Praeterea semel *eos* II 839, 19 (*eos* F) duce Mommseno in *eis* emendandum est. Quater denique *eis* ab antiquo librario aut correctore in *his* mutatum est: cf. I 791, 41; 856, 12 (ante relativ.); II 652, 30; 933, 18.

Totiens *eis* scriptum vidi; multo magis *his* in usu est: quod paulo saepius quam 1250^iens^ sine varia lectione traditum vidi quo 550 fere *his* ante relativum posita pertinent.[2])

Praeterea antiqua correctura *his* originem cepit: a) ex *is*: I 254, 24 (*'h'is* F^2); II 147, 33 (*'h'isque* F^2?); II 387, 26 (*is*] *his* F^2); II 418, 6 (*'h'is* F^6); II 647, 11 (*'h'is* F^2); II 660, 33 (*'h'is* F^2); ante relativum: II 147, 27 (*'h'isque* F^2); II 258, 11 (*'h'is* F^2); II 277, 4 (*'h'is* F^2).[3]) — b) ex *eis*: (quae supra attuli) I 791, 41; 856, 12 (ante relativum); II 652, 30. 933, 18: omnia a F^2 correcta. — c) ex *iis*: I 605, 1 (*iis*] F^1 *his* F^2). — d) ex *estis* (= *istis*, cf. II 342, 39: pro *iste*: F^a *este*): II 342, 32 (corr. F^b).

Restant hi loci ubi *is* et *iis* non emendata sunt:

Is enim scriptum est: I 245, 3 (Mommsen: *his*); I 478, 16 (*his* codd. PU^a); II 78, 34 (Mo.: *his*); II 200, 12 (Mo.: *his*);

1) In lectionum »certo« vel »sine varia lectione« traditarum numero eas pono quaecumque aut e lectione inepta manifestoque mendosa certa sive prioris sive alterius manus emendatione ortae — cf. e. g. II 109, 26: *'i'hi* F^2 — aut sine ulla correctura traditae sunt, nimirum praeter eas quae nullo modo in sententiarum conexum quadrant, veluti II 855, 1: ubi F: *his*, quod non tolerandum, Mommseni autem editio *si* exhibet.

2) Omisi: II 855, 34: *'inde h'is inde eis* F^4 ubi *his* errore scriptum videtur et II 94, 29: *adiectis verbis*] *adiectis his verbis* F^2, ubi *his* non necessarium est, et similia.

3) II 109, 26: *iis quos*] (ita Mo.) *ihis* F^1 *his* F^2 videtur mihi hoc modo interpretandum esse: F^1 primum neglegentia *is* scribere voluerat, intellexerat autem postquam primam litteram *i* scripsit id falsum esse atque post eam *i* litteram quae irrepserat quamque deleri voluit a correctore rectum *his* addidit.

II 265, 13; 296, 6; 468, 21; 537, 25; 647, 18; 684, 27; 701, 13; 784, 10; 828, 1; 883. 15; ante relativum: I 313, 38 (*his* PL); II 789. 3 (*qui* om. F); II 826, 24; II 897, 19.

Iis denique his locis invenitur: II 432, 31 (*his* f potius quam F em.); II 569, 38; II 684, 42: omnibus his locis ante relativum.

Haec sunt quae in Digestis invenerim.

Deinde duos codices quibus novi testamenti conversio Hieronymiana diligentissime traditur respexi. Sunt enim hi: Codex Fuldensis, saeculi VI quinto decennio (cf. Rankii editionis p. VIII) scriptus ab Ernesto Ranke Marpurgi-Lipsiae 1868 editus, et Codex Amiatinus saeculi VIII initio (cf. Teuffel-Schwabe, Gesch. d. römischen Litteratur[5] p. 1114) scriptus, a Constantino Tischendorf Lipsiae 1850 editus; qui codices ita inter se differunt, ut in cod. Amiatino quattuor evangelia seiuncta, in cod. Fuldensi pro eis unum ex quattuor evangeliis compositum inveniatur.

Iam in his codicibus easdem fere quas in Digestis leges inveni. Numeravi enim

I. in codice Fuldensi: a) in textu ipso: 250 fere *eis* (in quo numero 4 *eis* ante relativum), 145 *his* (quorum paene centum — 96 numeravi — ante relativum posita sunt). b) in praefationibus argumentis etc.: 16 *eis* (quorum 5 ante relativum), 10 *his* (quorum 7 ante relativum). Ceterae formae, praeter unum *is*, desunt: cf. p. 219, 20 = I Cor. 10, 7: *exis ipsis*, ubi in cod Am. scripta videmus: *ex ipsis*.

II. E codice Amiatino collegi: a) e textu: 295 fere *eis* (inter quae 4 *eis* ante rel.), 140 fere *his* (quorum paene centum — 96 — ante relativum). b) e praefationibus argumentisque etc.: 22 *his* (quorum 20 ad relativ. sequ. spectant), 20 *eis* (inter quae 4 *eis* ante rel.). Ceterae formae prorsus deesse videntur. Neque ullo loco aut *his* aut *eis* correctura ortum esse in hac utraque editione notabile est.

Ex his collatis apparet et eos qui Digesta et eos qui versiones Hieronymianas scripserunt ea ratione consentire, ut non aliis formis atque *his* et *eis* utantur. Ceterae enim, quae sunt

is et *iis*, vitantur atque ubi forte neglegentia intercurrerunt, sedulo emendantur; quamquam — quod in tanti ambitus operibus non mirum — in interpretatione Hieronymiana unum, in corpore Iustinianeo nonnullos eiusmodi locos emendatione carere videmus. Quam certam scribendi rationem — manifesto enim *his* et *eis* aliquo modo distinguuntur — in eius generis libris observatam esse non miramur, qui ex multo antiquioribus manu exercitatissima summaque diligentia descripti sunt. Vix enim fieri potuit, quin etiam minimae in iis asperitates polirentur. Num autem iam in aliis eiusmodi libris, quos ante libros supra adhibitos descriptos neque pari cura emendatos esse constat, idem factum sit, nunc quaerimus: fortasse enim hac quaestione soluta, quo fere tempore illa pronominalium perturbatio sublata sit, conici licebit.

E talibus libris — quales non pauci exstant — hos affero: E libris iuridicialibus codicem Theodosianum cuius altera pars, libri IX—XVI (praeter ultimi libri aliquot capitula) codice Tiliano, s. VI accuratissime scripto, optime traditur. Cuius membranae accuratissima collatio deest; utendum est novissima editione a Gustavo Haenel (Bonnae 1842) adnotatione critica instructa.

Multo maior sacrorum librorum vetustissimis codicibus traditorum numerus; e quibus hos affero:

A) Veteris testamenti versiones ante Hieronymum Latine translatas:

1. Par palimpsestorum Wirceburgensium, s. V scriptum, ab Ernesto Ranke, Vindobonae 1871, editum.

2. Codicem Lugdunensem, s. VI scriptum, ab Ulysse Robert editum, Paris. 1881.[1])

3. Pentateuchi palimpsesti fragmenta Monacensia, non post s. VI scripta, a Leone Ziegler, Monach. 1883, edita (»Bruchstücke einer Vorhieronymianischen Übersetzung des Pentateuch aus einem Palimpseste der Bibliothek zu München«).

1) Huius codicis partes nonnullae, quae sunt Leviticus et Numeri, antea separatae et nomine codicis Ashburnhamiensis appellatae, iam anno 1868 Londini editae sunt.

4. Parvae Genesis et Assumptionis Mosis fragmenta, s. V scripta, in Monumentis sacris et profanis ex codicibus praesertim bibliothecae Ambrosianae collectis (tom. I) ab Antonio Maria Ceriani Mediolani 1861 edita (p. 15 sqq.).

B) Novi testamenti interpretationes ante Hieronymum conscriptas:

1. Codicem Aureum Holmiensem, inter extremum V et iniens VI s., ut videtur, scriptum, ab Iohanne Belsheim Christianiae a. 1878 editum, quo quattuor evangelia continentur.

2. Fragmentum evangelii S. Lucae Ambrosianum, s. VI scriptum, in Antonii Ceriani Monumentis sacris et profanis, Mediolani 1861, editum (tom. I p. 4).

3. Codicem Monacensem, cui quattuor evangelia insunt (praeter pauca), s. VI aut VII scriptum, ab Henrico J. White, Oxoniae 1888, editum (»The four Gospels from the Munich MS (q.) now numbered lat. 6224 in the royal library at Munich, with a fragment from St. John«).

4. Codicem Vindobonensem, sive antiquissimae evangeliorum Lucae et Marci translationis latinae fragmenta, extremo s. VII scripta, edita ab Joh. Belsheim, Lipsiae 1885.

5. Epistularum Paulinarum fragmenta Frisingensia, s. VII scripta, a Leone Ziegler edita, Marpurgi 1876 (»Italafragmente der Paulin. Briefe nebst Bruchstücken einer Vorhieronymianischen Übersetzung des ersten Johannesbriefes aus Pergamentblättern der chemal. Freisinger Stiftsbibliothek«).

Omnes hos libros perlustratus quibus et quot formis dativum sive ablativum numeri pluralis significatum viderim, ex his apparebit.

Numeravi enim in codice Tiliano: 32 fere *eis* (quorum 2 ante relativam); certe 330 *his* (quorum plura quam 210 ad relativum quod sequitur spectant); 2 *iis* (ni fallor) his locis scripta videmus: p. 1012: *aliquis ex iis ... ad quos* (ad quem locum ab editore adnotatur [cf. adnot. s.]: *Ita Aur. Lugd. cum multis codd.; Sich. Cui. 1 et nonn. codd. hiis. Rell. his*); p. 1014: *aliquid ab iis* (quo adnotatio o. spectat: *Sich. Cui. 1*

— Cui. 2 hiis, nonn. codd.: his*). Quibus locis non certo perspicio quae codicis Tiliani [1]) lectio sit.

Deinde in Pari palimps Wirceburgensium inveni: circiter 43 *eis* (inter quae 1 *eis qui*); 10 *his* (inter quae 4 *his qui*); 4 *iis*: Lev. 11, 33 (p. 216); Lev. 22, 22 (p. 228); Dan. orat. Azar. (33) 9 (p. 384): *iis qui*; Dan. orat. Azar. (40) 16 (p. 386): *iis qui*.

Tum in codice Lugdunensi: paulo plura quam 100 *eis* (2 ante rel.), 29 *his* (17 *his qui*).

Tum in Pentateuchi palimps. fragm. Monac.: 35 *eis* (quorum 1 ante relativum), 3 *his* (qu. 1 ante relativum).

In codice Aureo Holmiensi: 225 paene *eis* (inter quae 2 *eis qui*), paulo plura quam 50 *his* (28 *his qui*) in textu ipso; huc accedunt 2 *his* (utrumque ante relativ.), quae in praefation. etc. leguntur.

Tum in Lucae fragmento Ambrosiano: 1 *eis*, 2 *his*.

In quattuor evangeliis Monacensibus numeravi: plura quam 100 *eis* (6 ante relativum), 30 fere *his* (17 ante relativum), 2 *is*: Luc. 18, 23 (p. 101): *Is ille auditis*; Luc. 28, 14 (p. 109): *ex is quibus*.

Denique in codice Vindobonensi, Lucae et Marci fragmenta continente: 27 *eis* (quorum 2 ad relat. sequ. spectant), 9 *his* (8 ad relat. seq. spect.).

Videmus iam in his libris eandem legem quam in Digestis et in versione Hieronymiana valuisse, scilicet ut ad dativum sive ablativum plur. exprimendum non aliae formae nisi *his* et *eis* adhiberentur. Quae lex rarissime violata est. Quibus paucis exceptionibus — cf. cod. Til., Pal. Wirceb., Ev. Monac. — iterum confirmatur formam *his* non solum cum *is*, sed etiam cum *iis* in unam iamdudum coiisse, quod cur fieri necesse fuisset, supra exposui.

Primum enim, ut hoc repetam, in voce *his* aspiratio auribus percipi iam pridem disierat. Quod quamquam satis constat, tamen lectionibus aliquot notabilibus, ne eae amplius delitescant, illustrare mihi liceat.

---

1) Numero 4 a G. Haenel significatur.

Frequentes enim in illis libris et ei loci sunt, ubi littera *h* in verborum initio omissa et ei, ubi falso ante vocalem scripta est.

Primum e *Digestis* haec exempla affero, in quibus aut omnino aut prima manu litteram *h* omissam esse videmus:

Saepissime in *habendi* vocis formis:

Cf. I 59, 13. I 496, 28 *abere* F; I 853, 16 `*h'abere* $F^2$; II 374, 6 `*h'abere* F^b; I 282, 23 *abhere* F^1; I 268, 26 `*h'abeo* $F^2$; I 514, 33. I 576, 10. II 590, 6 *abeo* F; I 283, 22 `*h'abet* F^2; II 375, 2 *abet* F; I 486, 28 `*h'abeam* $F^b$; I 62, 26. I 485, 20 *abeat* F; I 731, 42 `*h'abeat* F^b?; II 65, 6 `*h'abendum* $F^b$; II 72, 16 `*h'abenti* F^2; I 853, 13 `*h'aberet* $F^2$; II 340, 35 *aberet* F; I 868, 74 `*h'aberent* F^2; II 427, 30 `*h'abebat* $F^b$; I 483, 38 `*h'abebo* F^2; II 885, 25 `*h'abebunt* $F^2$; II 854, 16 *auito* F (= *habito*); I 103, 20 `*h'abuit* F^b; II 332, 10 `*h'abuit* $F^2$; I 289, 17 *afuit* F (pro: *habuit*); II 25, 32 `*h'abuissent* F^2; II 416, 22 *abuisset* F; I 253, 5 *abuero* F; I 491, 28 *aueris* F (= *habueris*); II 886, 10 `*h'abiturus* F^2.

Conferas praeterea:

II 260, 19 `*h'abitatio* $F^2$; I 813, 35 *in`h'abilis* F^2; I 543, 16 *adriani* F; I 872, 41 `*h'adrianus* $F^2$, cf. II 404, 22. II 407, 10. II 784, 33. II 916, 4 etc.; I 10, 9 *aurire* F; II 600, 35 `*h'aurire* F^2; I 259, 5 *auriendi* F; II 599, 34 *auriendi* F (sup. F^2); I 260, 1 *auriendae* F^1; I 264, 2 *aurienda* F^1; I 893, 6 *ex`h'austa* $F^2$; II 202, 4 *ex`h'austa* F^b; II 595, 21 `*h'austus* F^b.

II 352, 29 `*h'elena* F; I 253, 21 *aeres* $F^1$ (= *heres*); II 98, 18 *eres* F; II 11, 23 `*h'eres* F; II 29, 26. II 78, 1 `*h'eredi* $F^b$; II 747, 26 `*h'ereditarius* F^2; II 238, 31 `*h'ereditas* $F^b$; II 234, 6. II 884, 10 `*h'ereditatem* F^b; II 243, 25 *ereditatis* F^a; II 77, 8 `*h'ermippus* $F^b$; I 374, 5 `*h'ermogenianus* F^2; I 95, 11 *eurematicis* F, cf.: I 465, 16. I 681, 30. I 728, 26. I 780, 4. I 851, 33; I 882, 28. II 109, 30. II 244, 6. II 190, 26 (*eyrematicis* F) etc.

I 720, 9 *exibenda* F; I 369, 14 *exibuerit* F; II 95, 2 *isginum* F (pro: *hysginum*); II 466, 22 *ispaniam* F; II 466, 24 *ispania* F.

I 536, 36 *omo* F; II 406, 12 `*h'omo* $F^2$; I 820, 21 `*h'omine* F^2; I 514, 10 `*h'ominem* $F^2$; II 802, 19 *homicidii*] $F^b$ *omnicidio* $F^a$; I 472, 2 `*h'onestis* F^2; II 454, 8 `*h'onestis* $F^b$; I 895, 34 `*h'onore* F^2; I 250, 20 `*h'oram* $F^2$; II 661, 32 `*h'orreo* F^2; II 742, 31 *orreo* F; II 467, 35 `*h'orreis* $F^b$; I 341, 13 *ortatus* $F^2$; II 84, 15. 19 `*h'ortis* F^b; II 10, 6 `*h'ortos* F; II 84. 17 *orthos* $F^1$; II 97, 11 `*h'ort‘h’os* F^b; II 915, 41 `*h'ospite* $F^2$; II 916, 3 `*h'ospitem* F^2; II 772, 33 `*h'ospitio* $F^2$; I 824, 10 `*h'ostes* F^2; I 753, 40 *hab ostibus* F (= *ab hostibus*); I 816, 10 *ostium* F.

II 783, 41. II 820, 4 *umiliores* F; II 149, 9 *yacinthos* F; II 556, 13 *ypothecae* F; II 556, 14 `*h'ypothecario* F^b.

Denique in his pronominis *hic* formis littera *h* sive deest sive defuit:

I 825, 23. II 55, 8. II 239, 15 II 348, 32. II 469, 25 *ac* F; I 713, 5 `*h'ac* $F^2$; II 427, 1 `*h'ac* F^2; I 331, 6 `*h'actenus* $F^2$; II 505, 18 `*h'actenus* F^b; I 719, 11 `*h'ae* $F^b$; I 894, 10. II 575, 10. 11. II 770, 7 `*h'ae* F^2; II 269, 3 *aec* F; I 110, 19 `*h'aec* F; I 526, 30 *anc* F; II 465, 24 *an* F (pro *hanc*); I 793, 18 `*h'anc* F^2.

I 63, 19 *inc* F; II 366, 17 *incerti* F^2 (pro: *hinc orti*); II 90, 33 *deinc* F.

I 541, 16 *oc* F; II 77, 6 `*h'oc* $F^b$; II 374, 12 `*h'oc* F^2; II 789, 3 *odie* F; II 741, 13 `*h'odie* F^2?

I 885, 38 `*h'uic* $F^b$; II 361, 29. II 687, 7 `*h'uius* F^2; II 406, 11 `*h'uius modi* $F^2$; I 486, 9. I 820, 39. I 844, 12 `*h'unc* F^2.

Contra his Digestorum locis in cod. Florentino *h* falso scriptum est:

I XXXII, 24. II 257, 14 *hab* (= *ab*) F; I 462, 37 ‘*h’ab ea* F^2; II 330, 7 ‘*h’ab ea* F^b; I 119, 20. I 303, 9. I 568, 22. II 100, 36 *habeo* F (pro *ab eo*); I 310, 20. I 716, 8. II 262, 16. II 410, 6. II 418, 28. II 539, 17 ‘*h’abeo* F^2; I 439, 4 ‘*h’abeo* F^b; II 593, 10 ‘*h’abeo* F^b?; I 753, 40 *hab ostibus* (= *ab hostib.*) F; II 539, 33 ‘*h’ab‘e’re* F^2 (= *ab re*); II 462, 35 ‘*h’aberit* F^b; II 477, 40 ‘*h’aberint* F^2; II 507, 8 *habuit* F^1 (pro *abiit*); II 538, 11 *habauit* F^1 (= *abibit*); I 57, 22 ‘*h’abesse* F; I 26, 16 ‘*h’abeonumandum* F^b (pro *abominandum*); I 833, 2 *habundat* F^1; II 228, 44. II 528, 40. II 602, 37 *hac* F (pro *ac*); I 473, 29. I 861, 3. II 434, 13. II 469, 22. II 489, 17. II 609, 18. II 617, 25 ‘*h’ac* F; II 635, 19 *ac*] *ha‘e’c* F^2; II 508, 5 *haccessione* F; I 115, 23 *cohactus* F (= *coactus*); I 257, 34 *haedes* F^1; II 601, 27 ‘*h’aedes* F^b?; II 601, 30 *aedes*] *heres* F^1; II 249, 11 ‘*h’aeris* F^b; II 927, 34 *aeris*] *heris* F; II 689, 26 ‘*h’aere* F^2; II 859, 11 *halphenus* F; I 666, 23 ‘*h’an huic* F^b; II 79, 31. II 191, 35 ‘*h’an* F; I 159, 17 *habiter* (sic!) F (= *arbiter*); II 483, 14 ‘*h’arbitrum* F^b; II 6, 21 ‘*h’arca* F^2; II 851, 15 *harruntio* F (pro *Arruntio*).

II 729, 43 *in‘h’aerat* F^b? (= *inerat*); I 43, 3. I 736, 37 *cohercetur* F; II 688, 3 *heret* F^1 (= *erit*); II 729, 35 *heremodicio* F; II 586, 8 (bis) *in‘h’ermis* F^2; II 670, 24 ‘*h’eros* F^2 (= *eros*); II 173, 28. 31. II 456, 6. 667, 1 ‘*h’erotem* F^2; II 456, 13. II 670, 26 ‘*h’eroti* F^2; II 670, 29 ‘*h’erotis* F^2; II 828, 25 ‘*h’est hunc* F^b; II 575, 20 ‘*h’etiam* F^b; I 13, 1 ‘*h’ex hoc* F; II 732, 1 ‘*h’exhibendum* F^b.

II 421, 17 *conhibentibus* F (= *coniventibus*); I 473, 18 *hibi* F ante em.; II 515, 28 ‘*h’ibi* F^b; II 584, 25 ‘*h’ibi* F^2; II 584, 30 *hibi* F^2?; I 843, 35 *ad‘h’ibit* F^2 (= *adibit*); I 449, 6 *redhibit* F (*redibit*); I 290, 7 *in‘h’ibitur* F^2 (= *inibitur*); 607, 11 *red‘h’iret* F^b; 833, 8 *trahiciendum* F; I 416, 22 *trahiciunt* F; II 643, 42 *trahiecticias* F; II 801, 7 `*h'irenarchae* $F^2$; II 914, 40 `*h'irenarchae* F; II 801, 13. 15 `*h'irenarchen* $F^2$; II 801, 5 `*h'irenarchis* F^2; II 433, 34 `*h'irenae* F^b; II 433, 35 *hirene* F; II 666, 10 *exhistimu* F^1 (pro *existimo*); II 557, 27 ‘*h’istis* F^2; II 537, 6 ‘*h’ita* F^b.

I 539, 7 *hocculto* F; II 244, 22 *hoceani* F; I 7, 20 *'h'octo* F; I 26, 16 *abhonunandum* F^2 (= *abominandum*); I 614, 3 *'h'om'i'nes* (= *omnes*); II 128, 9 *'h'omne* F^2; II 113, 29 *'h'onerare* F^b; II 292, 40 *'h'onoretur* F^b (= *oneretur*); II 228, 23 *'honus'* F^b; II 588, 27. II 914, 17 *'h'onus* F^2; II 826, 20 *'h'onere* F^2; II 391, 21 *'h'opere* F^2; II 407, 19 *hopia* F^1; II 916, 2 *horatoribus* F; I 879, 43 *abhortum* F (= *abortum*); I 647, 36 *'h'ostendere* F^2; II 338, 35 *'h'osterio* F^2; I 421, 16 *hostiam* F (= *Ostiam*); II 128, 6 *hostiarii* F.

II 236, 25 *hustà'e'* F^2? *hù's'ta* F^b.

Item pronominis *is* formis littera *h* falso anteposita est:

II 922, 29 *'h'eadem* F^1; II 369, 29 *'h'eam* F^b; II 888, 1 *hii* F^a (pro *ei*, dat. sg.); II 414, 10 *pro 'h'eo* F^b; II 688, 21 *'h'id* F^2; II 379, 10 *'h'ideo* F; I 308, 6. I 336, 7. II 91, 19. II 284, 27. II 465, 16. II 478, 1. II 598, 26. II 621, 37 (*his'h'omo* F^2). II 902, 29 *his* F, nom. sg. m.; II 447, 5 (*'h'isque*). II 480, 33. II 481, 30. II 497, 11. II 549, 15 *his* F^b nom. sg. m.: II 131, 20. II 358, 23. II 467, 10. II 477, 7. II 480, 17. II 481, 18. II 503, 26. II 510, 17. II 544, 23. II 587, 15 (F^2?). II 587, 28. II 609, 30. II 617, 12. II 618, 27. II 886, 31 *his* F^2, nom. sg. m.; I 395, 8 *his* (nom. sg.) F ante em.; II 956, 11 *is*] *eis* F^1 *his* F^2 (nom. sg. m.), (cf. Bonnet, Le latin de Grégoire de Tours, p. 382); *hisdem* legi I XXXXIV, 5; XXXVI, 31; 359, 35: 559, 6: 890, 13; 730, 12 (F^2, *iisdem* F^1); II 100, 11. 14; 240, 3; 302, 34; 797, 37; *'h'isdem* II 520, 28 (F^b): 529, 28 (F^2?); 531, 25 (F^2): 564, 15 (F^2): 644, 14 (F^2); *'h'iisdem* (F^2) II 617, 32; *'h'isdem* II 146, 31; 167, 30; 766, 36; bis 465, 42.

Praeterea non raro etiam praeter initia vocum littera *h* ante vocalem aut omissa aut falso posita est:

Affero pro multis haec exempla: cf. Dig.:

I 716, 16 *ni'h'il* F^2; I 110, 36 *mi'h'i* F^b; II 374, 26 *detrà'h'endo* F^b; II 376, 18 *destru'h'endum* F^b; II 915, 5 *extruhenda* F; II 915, 29 *uerhé're'di* F^2; II 915, 41 *uerhedo* F; I 6, 3 *plebei'h'i* F^2 (cf. emendanda p. LXXXVII); I 183, 7 *trahianus* F, cf. I 187. 27. II 781, 30. II 832, 9. II 841, 7. II 846, 9. II 859, 5. II 878, 43. II 879, 18. II 879, 28. II 884, 38 etc. Cf etiam I 58, 28 *trai'h'anus* F^2; II 268, 20 *legatorihis* F (= *legatoriis*); II 271, 22 *nominhis* (= *nominis*); I 154, 1 *nihilhominus* F (pro *nihilo minus*), saepissime, cf.: I 261, 16. I 300, 30. I 381, 38. I 399, 9. I 864, 1. II 5, 22. II 16, 22. II 22, 36. II 27, 3. II 27, 22. II 28, 34. II 60, 18. II 81, 28. II 540, 11. II 557, 36. II 587, 18. II 588, 22 etc.; II 88, 4 *pars hodie* F^1 *rars hodiae* F^2 (pro *rhapsodiae*, WQ^b); cf. etiam I 741, 38 *pollice'h'or* F^2; II 78, 10 *horthorum* F; II 84, 17 *orthos* F^1; II 97, 11 *'h'ort'h'os* F^b.

Fortasse non iniucundum est has quoque scribendi rationes conferre:

II 426, 40 *pro'h'ibent* F^2 (= *probant*) II 427, 2 *pro'h'abare* F^2 (= *probare*).

Deinde e codice Tiliano haec affero:

I. *h* omissum his locis:

p. 1273 *abita* (*h* add.); p. 1162 *redibitionem* (*h* add.); p. 1483 *ypodiaconi*; p. 1274 *ypomnematografi*; p. 1278 *ac* (add. *h*)!; p. 1286 *actenus*!

II. *h* falso antepositum:

p. 1394 *habierunt* (del. *h*); p. 1069 *cohartetur*; p. 1100 *cohartentur*; p. 1227 *conhibente* (pro *conivente*): p. 1093 *conhibentia* (= *coniventia*); p. 1448 *conhibentiae*; p. 1133. p. 1541 *conhibentiam*; p. 979 *hirenarcho* (= *irenarcha*); p. 1306 *Hirenarchis*, *hirenarcharum*, *hirenarchas*; p. 1342 *honera* (*h* erasum); p. 1325 *honeribus* (*h* er.); p 933 *hostendi* (*h* del. a rec. manu); (p. 990 *is qui*], nom. sg. m., cf. adnotationem 1: *codd. his s. is, pauci ii* ..., sed quid in cod. Tiliano (4)?); p. 1007; *his qui* n. sg. m.; p. 1353 *his qui* n. sg. (*h* del.); p. 1471 *his qui* (rubro col. em. *is*). *Hisdem* semper scribitur (saepius quam 30 iens), ut unum *eisdem* (p. 1604) excipiam.

Eidem scribendi errores in bibliis sacris inveniuntur. Conferamus primum hos interpretationis Hieronymianae locos:

I. *h* omissum:

A) in codice Amiatino:

p. 330 = I Thess. 5, 13 *^{h}abeatis*; p. 256 = Rom. 12, 8 *exortatur*, cf. Fuld.; p. 256 = Rom. 12, 8 *exortando*, cf. Fuld.; p. 277 = I Cor. 14, 3 *ex^{h}ortationem*; p. 278 = I Cor. 14, 31 *ex^{h}ortentur*; p. 284 = II Cor. 1, 6 *ex^{h}ortatione*; p. 288 = II Cor. 6, 1 *ex^{h}ortamur*.

In praefationibus etc.:

p. 342 arg. ad II Tim *ex^{h}ortatione*; p. 353 cap. ad Hebr. *ex^{h}ortatio*; p 354 bis *exortatione*; p. 335 arg. ad I Tim. *^{h}ymeneo*.

B) in cod. Fuldensi:

p. 55 = Joh. ev. 2. 8 *^{h}aurite*; p. 211 = I Cor. 4, 11 *ha^{n}c ^{h}oram*; p. 198 = Rom. 12, 8 *exortatur* (cf. Am.), *exortando* (cf. Am.); p. 276 = I Thess. 2, 3 *exortatio*; p. 460 = Apoc. 21, 20 *yacinthus*.

C) In bibliorum interpretationibus ante Hieronymum translatis:[1])

Ev. Monac. Joh. 8, 12 *abebit*; Ev. Monac. Mtth. 8, 27 *abent*; Cod. Vindob. Luc. 15, 8—12 *^{h}abente*; Ev. Monac. Mt. 25, 28 *abet*; Ev. Monac. Luc. 15, 29 *aedum*; Cod. Aur. Joh. 4, 7. 16 *aurire* et saepius.

Parv. Genes. 61 a (p. 15) *ebdomadorum* (idem aliis locis); Cod. Aur. praef. (p. 2) *Esychio*.

1) De codice Lugdunensi cf. Roberti praefationis p. XLIX

Cod. Frising. 2 Cor. 11, 2 *exibere*; Ev. Monac. Joh. 2, 25 *periberet*; Ev. Monac. Mt. 19, 14 *proibere*.

Parv. Gen. 61 a (p. 15) *olocaustomata* (saepius): Ev. Monac. Mt. 26, 30 *ora*; Pentat. Monac. p. 1, 11. p. 3, 4 *oram*; Ev. Monac. Joh. 6, 9 *ordiacios*; Cod. Frising. 2 Cor. 1, 4 *exortamur*: Ev. Monac. Mt. 25, 35. 44 *ospitem*; Pentat. Monac. p. 13 a, 21 *ostia*; Parv. Gen. p. 24 *ostium*.

Ev. Mon. Mt. 26, 30 *ymno*.

Conferamus denique has pronominis *hic* formas, ubi *h* littera omissa:

Ev. Mon. Mt. 21, 28 *odie*; Ev. Mon. Mt. 11, 13 *odiernum*; Ev. Mon. Luc. 1, 24 *ʰos*; Pentat. Mon. p. 57 b, 12 *atuc*.

II. *h* falso vocibus antepositum:

A) in codice Amiatino:

p. 278 = I Cor. 15, 10 *habundantius* (*h* del.); p. 70 = Marc. 5, 38 *heiu-ˡantes*; p. 378 = I Petr. 3, 10 *coherceat*: p. 293 = II Cor. 11, 5 *exhistimo*; p. 349 = Tit. 1, 16 *abhominati* (*h* del.): II Cor. 12, 18; Hebr. 2, 14. 10, 11 *ʰisdem*.

in praefationibus etc.:

p. 9 = prol. in ev. IV *prohemium*; p. 9 = prol. in ev. IV *heremo* (= ἔρημος); p. 235 = argum. ad Ep. Rom. *haeremo* (cf. Fuld.).

B) in cod. Fuldensi:

p. 96 = Mt. 19, 22 *ḥabiit*; p. 204 = Rom. 16, 23 *herastus*; p. 412 = I Petr. 3, 10 *coherceat*; p. 438 = Apoc. 4, 3 *hiaspidis*; p. 32 = Luc. 1, 76 *praehibis*; p. 438 = Apoc. 4, 3. p. 445 = Apoc. 10, 1 *hiris*; p. 296 = I Tim. 2, 2 *hornatum*; p. 318 = Hebr. 6, 6 *hostentui*; p. 246 = II Cor. 12, 18; p. 314 = Hebr. 2, 14 *hisdem*.

in praefationibus etc.:

p. 172 = arg. Ep. Rom. *heremo* (cf. Am.).

C) in reliquis illis libris:

Ev. Monac. Joh. 4, 3. 5, 15 *habiit*; Ev. Monac. Mr. 12, 12 *habierunt*; Cod. Aur. Lc. 15, 17 *habundant*; Cod. Aur. Mt. 12, 34. Lc. 6, 45. 12, 15 *habundantia*; Cod. Aur. Mt. 5, 37. Joh. 10, 10 *habundantius*; Aur. Mt. 13, 12. 24, 12. 25, 29 *habundavit*; Aur. Mt. 5, 20 *habundaverit*; Ev. Mon. Mt. 23, 37 *ʰalas*.

Ev. Mon. Mr. 9, 20 *helisus*; Aur. praef. p. 4 *prohemio*; Parv. Gen. p. 57 *heremo*; Aur. praef. p. 4 *herimo*.

Ev. Mon. Joh. 16, 7 *hiero* (= *iero*); Ev. Mon. Mr. 9, 43 *hire*; Ev. Mon. Lc. 9, 51 *hiret*; Ev. Mon. Mt. 26, 31 *hista*; Fris. I Tim. 6, 1 *exhistiment*: Fris. II Cor. 1, 4 *exhistimo*.

Aur. Mr. 13, 14. Ev. Mon. Lc. 16, 15 *abhominatio*; Ev. Mon. Mt. 24, 15 Mr. 13, 14 *abhominationem*; Ev. Mon. Mt 23, 24 *honera*; Ev. Mon. Mt. 11, 28 *honerati*; Ev. Mon. = Aur. Lc. 11, 46 *honeratis*; Mon. Ev. = Aur. Lc. 11, 46 *honeribus*: Wirc. p. 369 *exhorandum*; Wirc. p. 369 (bis) *exhordio*; Ev. Mon. Mr. 4, 17 *horta*; Ev. Mon. Lc. 8, 7 *exhortae*; Ev. Mon. 13, 6 *horto*; Ev. Mon. Mr. 4, 5 *exhortum*; Ev. Mon. 4, 6 *exhortus*; Ev. Mon. Lc. 8, 7 *exhortuum*; Ev. Mon. Joh. 17, 24 *hubi*.

hisdem legitur in Fris. II Cor. 12, 18.

Restat, ut eos locos afferam, ubi pro *is*, nom. sg. masc., *his* scriptum est.

A) in codice Amiatino:

p. 268 = I Cor. 5, 11. p. 350 = Tit. 2, 8 *his* prima manu.

B) in cod. Fuldensi:

1) primae manus lectiones, quae emendatae sunt: p. 82 = Joh. 5, 13 *his qui*; p. 90 = Luc. 15, 27 *hisque*; p. 382 = Act. 21, 11 *his*; p. 391 = Act. 25, 13—27 *his qui*; p. 422 = Joh. II, 22 *his qui*.

2) sine correctura: p. 199 = Rom. 14, 3 *his qui*; p. 244 = II Cor. 11, 4 *his qui*; p. 341 = Act. 3, 3 *his*; p. 429 = III Joh. v. 9 *his qui*.

C) In ceteris quas supra dixi bibliorum interpretationibus:

Ev. Mon. Mt. 13, 22 *his qui*; Ev. Mon. Joh. 1, 33 *his qui*; Ev. Mon. Luc. 7, 43 *his cui*; Ev. Mon. Luc. 15, 15 *his*; Ev. Mon. Luc. 15, 27 *his quae* (= *isque*); Fris. Hebr. 10, 12 *His autem* (h. l. fortasse falso pro *hic* scriptum, quod in interpret. Hieronymiana legitur).

Nonnumquam etiam inter duas vocales *h* litteram prave scriptam videmus. Cf.:

in cod. Fuld. 1 Cor. 14, 9 (p. 225) *ahera*.

Adnoto litteram hanc in nominibus Hebraicis scribi solere (cf. imprimis plurima ea, quae in *-el* syllabam exeunt, quae afferre longum est). Tamen ne in iis quidem desunt exempla ubi *h* omissum est. Cf. e. g.:

in cod. Am. (p. 17) Mt. 2, 8 *Bethleem*; in cod. Fuld. (p. 42) Joh. 1, 43 *Joanna* (*Johannes* enim s. d. usitata forma); in cod. Aur. cap. Luc. (p. 187). Luc. I, 19. 26 *Gabriel* etc. etc.[1]); cf. etiam Bonnet, Le Latin de Gregoire de Tours p. 167 sqq.

---

1) Nolo tacere me in hac collatione omisisse 1) voces illas notissimas de quarum aspiratione iam vetustissimis temporibus dubitabatur, veluti *harena* sive *arena*, *humerus* sive *umerus*, *humor* sive *umor*; *avere* sive *havere*, *olus* sive *holus*; 2) nomina Hebraica, quibus scribendis librarios

His collatis satis superque quod supra diximus comprobatur: vocales aspiratas et non aspiratas illis temporibus, i. e. certe inde a quinto saeculo diverso modo enuntiari prorsus desiisse. Itaque ubi in Digestis reliquisque membranis *is* repperimus, plerumque *his* non *iis* intelligendum esse iam exspectamus.

Deinde, quod ad *iis* formam attinet, duplicem litteram *i* ut unam esse elatam certe Prisciani temporibus supra p. 17 attigi. Quae geminatae vocalis contractio ipsa quoque non paucis manuscriptorum erroribus comprobatur; e quibus aliquot afferam.

Primum de Digestorum codice Florentino videamus: quo in libro saepissime *i* pro *ii* exaratum vidi, imprimis ibi, ubi de nominum substantivorum formis aut in *-ii* aut in *-iis* syllabam exeuntibus agebatur. Cf.:

II 30, 31 *titi`i'* $F^2$; II 56, 13 *patrimoni`i'* F^b; II 95, 15 *praesidi`i'* $F^b$; II 48, 5 *hereditari`i'* F^b etc.; II 267, 7 *contrari`i's* $F^b$; II 319, 14 *obsequis* F; II 362, 24 *abdulteri`i's* F^2 etc. etc.

Facillime hic exemplorum numerus augetur, haec tamen sufficiant. Neque vero neglegendum quod legimus I 294, 8 *vi`i's*, quia haec vox, ut *iis*, in unam syllabam contracta esse videtur. Cf. etiam I p. XXVIII, 9: *invi`i's* F^3. Deinde non raro *i* pro *ii* scriptum est in verborum formis, veluti:

I 119, 31 *definit* F^3 (pro *-iit*); I 535, 15 *peti* F^1 (= *ii*); II 521, 8 *quaesi`i'* F^2; saepissime *-issem* pro *-iissem* etc.[1]); cf. I 629, 34 *perissent* F etc.

Nonnumquam denique *i* litteram omissam videmus ubi vocem quae in *i* litteram cadit alia sequitur cuius initium eadem littera est:

---

neque cum nostra neque cum interpretum Graecorum consuetudine interdum consentire videmus. Cf.: Ev. Mon. Luc. 11, 51 *Habel*; Ev. Mon. Luc. 1, 5 *Helisabeth*. *Habraham* praeter *Abraham* in Ev. Mon. scriptum est (cf. Joh. 8, 37, ubi utraque forma scripta). *h* contra Graecorum usum omissum: Wirc. (279), Jer. 18, 18 (285), Jer. 20, 1 *Ieremiam* etc.; Aur. Mt. 20, 29 *Iericho* etc. etc.; 3) voces Graecas, in quibus utra scribendi ratio probanda sit non satis constat: cf. Wirc., ubi et *exhedra* (Ez. 41, 16 *exhaedrarum*, 42, 4 *exhedrarum*) et *exedra* scriptum est (Ez. 42, 1 *exedrae*).

1) Quae res non nova est. Constat enim iam in optimis poetis *abîsse perisse* hac ipsa adhibita mensura occurrere.

cf. II p. 381, 18 *damninfecti* F (pro *damni infecti*); cf. II 384, 12. II 387, 27. II 388, 26. II 392, 2. II 392, 15; II, 773, 15 *qui `i'd* F^2 etc.

E contrario, quod etiam magis premendum, *ii* pro *i* his locis — ut e multis nonnullos afferam — scriptum est: I) Permultas formas quae in *-i* aut *-is* cadunt huc referre licet:

II, 810 sqq. saepissime *adulteri`i's* in F; II 679, 2 *alteri`i'* F^b; I 718, 8 *calendi`i's* $F^a$; I 375, 27 *condici`i'* F; II 16, 12 *iustiis* F; I 218, 7 *palari`i's* $F^2$; II 679, 1 *promittendi`i'* F^b; I 135, 16 *patii* F etc.

II) Pro *-it -isset -isti* et similibus *-iit -iisset -iisti* falso scriptum:

cf. II 232, 6 *adi`i't* $F^b$; I 739, 29 *desiit* F; II 481, 25 *desi`i't* F^b; II 593, 37 *desiit* F; II 606, 25 *ieci`i'sti* F; II 744, 37 *meminissent*] *meminiissent* F^2 *communiissent* F^b; II 439, 17 *siit* F^1.

Praeterea haec notabilia sunt:

II 852, 39 *ali`i'quid* $F^b$; II 257, 10 *ei`i'* F^b; II 640, 6 *ei*] *si* F^1 *eii* F^2; I 79, 32 *piirrhi* F^a (= *pyrrhi*); II 890, 8 *pri`i'stinum* $F^b$; II 792, 6 *qui`i'n* F^b; I 212, 37 *qui`i's* $F^2$; II 365, 20. II 408, 17 *si`i'* F^2; II 380, 6 *tibi`i'* $F^2$; II 594, 40 *uti`i'* F^b; II 500, 12 *`ui'ci`i'ni* F^2; II 72, 36 *ui`i'no* F^b.

Similia in codice Tiliano inveniuntur: cf.:

p. 826 cod. Til. *iudicii* pro *iudici*; p. 1318 *quii*, em. *qui* etc.

Rarius tales errores in bibliorum interpretationibus animadvertimus. Tamen minime desunt.

In codice enim Amiatino *fili* et *filii* formae, ut hoc exemplo utar, non raro confunduntur.

Cf. Mr. 10, 48 (p. 79). Luc. 2, 48 (p. 102). Luc. 8, 28 (p. 113). Luc. 15, 31 (p. 127), Luc. 16, 25 (p. 129). Luc. 18, 39 (p. 132),

quibus locis *filii* forma ad vocativum significandum adhibita est. Contra *fili* nonnumquam scriptum est, ubi de nominativo numeri plur. agitur.

Cf. Hebr. 12, 8 (p. 366) (emend.) (p. 252. p. 254 etc.).

Paulo plura exempla e codice Fuldensi, quippe in quo plura invenerim, affero:

Mtth. 10, 3 (p. 45, 22). Luc. 20, 36 (p. 111, 28) paulo post *filii* : *fili* (nom. plur. m.). p. 180, 16 = Rom. 1, 9. p. 48, 10 = Mtth. 5, 45. p. 48, 28 = Luc. 6, 35 *fili*, nom. plur. m., littera *i* ser. manu addita; p. 32, 33 =

Mt. 1, 1 *fili*. p. 77, 3 = Joh. 6, 53 etc. *fili* pro gen. sg.: *filii* eiusdem vocis vocativus scriptus est p. 34, 4 = Mt. 1, 20.

Praeterea conferenda:

p. 117, 9 = Joh. 9, 11 *abii* pro *abi*; p. 120, 11 = Joh. 10, 34 *di*, sed p. 254, 9 et 378, 21 *dii*; p. 350, 16 = Act. 7, 29 *fugiit*.

Denique ceterae illae librorum sacrorum interpretationes respiciendae sunt: conferas igitur

in Pari Palimps. Wirceburg.:

Ez. 40, 42 *dimidi*; Ez. 42, 2 *atri*; Jon. 4, 14. Thren. 3, 7 *perit* pro *periit* (= ἀπώλετο, Hieron. *periit*); Dan. 2, 8 *abisse* pro *abiisse*, et similia. Ceterum *fili* et *filii*, *filis* et *filiis* ne in hoc quidem libro distinguntur.

De codice Lugdunensi cf. Roberti introductionis p. XLVII.

In Pentateuchi palimps. fragmento Monacensi *-ii* et *-iis* in vocum exitu raro illo modo contrahuntur. Excipiendae autem *fili* et *filis* plurales formae quae, nisi perpaucis locis (cf. p. 31 a, 6, p. 76 b, 13 *filiis*), nusquam duplicem *i* litteram exhibent:

cf. etiam p. 59 a, 13 et 15 (Num. 32, fin.) *abit* pro *abiit*.

In Parv. Gen. et Assumption. Mosis

cf. p. 32 *abisti*, *praeteristi*; p. 45 *effugiit*.

In codice Aureo Holminensi:

Mtt. 1, 20 (p. 18). Mtt. 2, 13 et 19 *in somnis* pro *in somniis* (cf. Mon.); Mt. 13, 15 (p. 60) ..... *ignis i*|| *ibi erit* ...; Luc. 14, 21 (p. 256) *exii* (imper.).

In Luc. fragm. Ambros.:

Lc. 19, 28 (Ceriani p. 11) *abit* pro *abiit*.

In Ev. Monacensibus:

cf. Mt. 1, 20. Mt. 2, 13 et 19 *in soñis* = *in somniis* (cf. Aur.); Mt. 12, 1 *abit* pro *abiit* (sic ceteri, in Fuld. hic loc. deest); Luc. 3, 1 *imperii tiberi* (= *tiberii*).

In Luc. et Marc. fragm. Vindobon.:

cf. Luc. 13, 2 (p. 12) *quii*; Luc. 22, 37—42 (p. 36) *gladi duo*; Mr. 8, 28 (p. 55) et *ali* et *alii* forma scripta est.

Ex epistulis Paulinis denique codic. Frising. fragmentis traditis nihil affero, quod ibi nullum eius modi scripturae exemplum offendi.

Haec exempla, quorum numerum augere certe non difficile est, ut forte in manus inciderunt congessi. Neque pluribus opus est quoniam his satis docemur, quaenam in demonstrativis formarum *his* et *iis* confusionis causa fuerit. Sine dubio scilicet et *is* et *iis* cum *his* in unum coierat.

Iam vero praeter *his* etiam altera forma *eis* servata esse videtur, quam ab illa in omnibus libris consulto seiungi et accurate distingui infra accuratius disputabimus; tamen etiam *eis* in pronuntiando cum *his* necessario iam pridem confusum est. Quod quidem ex observationibus, quae de utriusque pronominis nominativo pluralis numeri instituimus, efficietur

Invenimus enim in codice Florentino Digestorum paene 300 ^{iens} [1]) *hi* scriptum (quorum dimidiam fere partem — nam 150 fere eius modi locos numeravi — relativum sequitur). Talibus locis rarissime littera *h* omissa est: cf. II 920, 16 *'h'i* F^{2} et II 254, 41 *'i'hi* F, ubi *i* iam prima manu in *hi* videtur correctum esse.

Imprimis autem loci quidam notabiles sunt, ubi *hi* altera manu ex *ei* correctum videmus. Quod accidit II 356, 2; II 359, 22; ante relativum II 282, 18; II 346, 2. Nullo alio loco in cod. F *ei* adhibitum vidi.

Huc accedunt pauci loci, ubi codicis F lectiones corruptae auctore Mommseno sine dubio in *hi* corrigendi sunt: cf. II 300, 9 *hi minus*] *hii minus* K^{b} *nominibus* F^{1} *ni minus* F^{2}; II 237, 36. II 459, 32 ubi *his* traditum cum Mo. in *hi* mutandum.[2])

---

1) Eorum aliquot emendatione orta sunt, veluti: I 847, 5 *si hi*] *sibi* F^{1}; II 537, 31 *hi*] *in* F^{1}; II 849, 25 *hi in*] F^{2} *his* F^{1}. Sed haec levia menda sunt: minus neglegendae ceterae illae correcturae.

2) II 556, 6 codicis F^{2} supplementum (*hic*] F^{1} *hi creditores* F^{2}) Mo. recte improbavit. Ceterum in codicibus deterioribus interdum *hii* scriptum est: cf. I 234, 18 (add. UV^{b}); I 237, 5 (pro *hic* PVU): I 307, 15 (G$^{1.2}$); I 449, 34 (U); II 9, 16 (WDK); II 15, 29 (WCK); II 23, 13 (D); II 300, 9 (K^{b}); *Ii* 317, 34 (PLU).

Videmus igitur in cod. F solum *hi* usurpari neque tolerari aliam lectionem. Itaque illud *ei* quod unus librarius paulo rudior — cf. quae Th. Mommsen praefationis p. XXVII de manu IX iudicaverit — quater scripserat, manu altera in *hi* emendatum est. *Ii* autem ne errore quidem usquam scriptum vidi. Igitur illud quod est *hi* formas *ei ii i* plane quasi absorbuit.

Idem iam in codice Tiliano factum esse apparebit. In quo paulo minus quam 50 iens *hi* scriptum est — si nullam formam omisi — in quo numero paene 40 ante relativum posita (38) refero.

Praeterea autem his locis *hii* formam offendi:

p. 812 *hii quis* (Heyse legit *quos*, quod flagitatur); p. 903 *hii qui*; p. 907 *hii qui*; p. 911 *hii quorum*; p. 944 *hii qui*; p. 965 *hii quos*; p. 967 *hii quos*; p. 1026 *hii quibus*; p. 1103 *hii qui*; p. 1114 *hii qui*; p. 1116 *hii qui*; p. 1178 *hii quos*; p. 1195 *hii qui*; p. 1201 *hii qui*; p. 1218 *hii qui*; p. 1229 *hii qui*; p. 1239 *hii quos*; p. 1240 *hii qui*; p. 1245 *hii quibus*; p. 1266 *hii quos*; p. 1277 *hii qui*; p. 1389 *hii qui*; p. 1412 *hii qui*; p. 1493 *hii qui*; p. 1536 *hii qui*; p. 1591 *hii qui*.

Videtur huc etiam pertinere hic locus: p. 857 *hi qui*] »Sich. et multi codd. *hii*, nonn. *ii*«.

Omnibus his locis sequitur relativum. Non ante relativum *hii* bis tantum legitur p. 875 et 1599 (*hii* codd.).

Adnoto duobus locis *ii* formam — quae in hoc quoque codice haud dubie repudiatur — intercurrisse, ut videtur: p. 868 *ii qui* (ita in editionis textu, sub margine nihil adnotatum), atque fortasse p. 989 *ii quibus* (ita in textu; in adnotatione: multi codd. *hi*). Ubi si re vera in cod. Tiliano *ii* scriptum est — at vero Haenelii adnotatio admittit dubitationem — hoc certe neglegenter pro *hii* positum est, quod ex magno illo numero formarum *hi* et *hii* satis apparet.

Simili modo interpretationis Hieronymianae libri mss. se habent: nam in his quoque pronominis *is* nominativus plur. masc. deest.

Numeravimus enim in codicis Fuldensis

a) textu ipso:

50 fere (48) *hi* — quorum 9 ante relativum —; praeterea autem 12 *hii* (3 ante relativ.), cf.:

Rom. 8, 14 (p. 191) (*hii fili . . sunt*); Rom. 9, 6 (p. 192). Rom. 9, 8 (p. 192) (*hii filii*); Rom. 11, 24 (p. 197); I Cor. 9, 24 (p. 218) (*hii qui*); 1 Cor. 15, 23 (p. 228) (*hii qui*); Gal. 3, 7 (p. 252) (*hii sunt filii*); Gal. 6, 12 (p. 257); I Tim. 3, 10 (p. 296); II Tim. 3, 8 (p. 304); Hebr. 4, 6 (p. 316) (*hii quibus*); Hebr. 11, 39 (p. 328), et unum *hi*, ubi littera post *i* erasa, fortasse *i*: Act. 25, 11 (p. 390).

b) In eiusdem libri praefationibus argumentisque:

3 *hi*, 5 *hii*, cf. praef. ad Rom. (p. 179); praefation. ad I Cor. (p. 204); praef. ad Gal. (p. 248); praef. ad Phil. (p. 267); praef. ad Col. (p. 284), omnibus locis *hii*, sine relativo.

In codice Amiatino inveni

a) in textu:

paulo plura quam 60 *hi* (inter quae 18 ante relativum), 10 *hii*: Rom. 9, 8 (p. 252); Gal. 3, 7 (p. 300); Gal. 6, 11 (p. 303); Hebr. 4, 6 (p. 357) (*hii quibus*); I Petr. 4, 19 (p. 380) (*hii qui*); Jud. v. 8 (p. 395); Jud. v. 10 (p. 395); Jud. v. 12 (p. 395); Jud. v. 19 (p. 395).

b) in praef. etc.: 8 *hi*.

Usitata igitur in horum librorum utroque scriptura est *hi*. Illud *hii*, quod paucis locis scriptum est, prorsus eadem vi usurpatur; quo quidem duorum pronominum formas *hi* et *ii* in unam quasi confluxisse etiam litteris significatur. Iam hoc ipsum quod est *hii* etiam saepius inveniri atque etiam a nonnullis librariis alteri scripturae praeferri demonstrari potest.

Hae enim sunt quas invenerim scripturae:

In Pari Palimpsestorum Wirceburg. fere 18 *hi*.

In cod. Lugdunensi 23 *hi*[1]), 7 *hii*: Gen. 46, 15 (*Hii sunt filii*); Gen. 46, 22 (*Hii autem fili*); Gen. 46, 25 (*Hii sunt fili*); Ex. 1, 10. Ex. 6, 15 (*et hii fili*); Ex. 6, 17 (*et hii fili*); Ex. 32, 9 (*Hii sunt dii*).

1) Nonnullis locis *hī* scriptum: cf. Ex. 6, 18; Ex. 6, 19; Ex. 6, 20; Ex. 6, 27; Deut. 2, 10.

In Parva Gen. et assumpt. Mos. frg. 2 *hii*, 1 *hi*.

In Pentateuch. libro Palimps. Monac. 1 *hi*.

In codic. Aureo Holm. 29 *hii* in textu, 1 *hii* in praef., nullum *hi*!

In Luc. fragm. Ambrosiano 3 *hi*.

In Evangel. cod. Monac. 24 *hi*.

In Luc. et Marc. fragm. Vindob. 9 *hi*.

In epistul. Paulin. fragm. Frising. 1 *hi*, 1 *hii*.

Unde efficitur duorum demonstrativorum nominativos plurales masculini generis plane in unam vocem coiisse, quae quidem non aliter atque *ī* enuntiata esse potest: quam vocem librarii plerumque *hi*, nonnumquam autem, ubi hanc formam non solum ad *hic*, sed etiam ad *is* pertinere recordati sunt, *hii* scribebant idque saepenumero etiam ubi non pronominis *is*, sed pronominis *hic* forma flagitabatur. Nam hae duae formae nullo modo inter se seiunctae sunt — nisi forte codicem Tilianum excipiam, ubi *hii* eis potissimum locis praefertur, ubi relativum sequitur, at ne illis paucis quidem locis haec lex sine exceptione valet.

Ceterum cum his observationibus Gregorii Turonensis codicum vetustissimorum[1]) scripturae optime consentiunt. Docet enim M. Bonnet[2]) in his membranis et *ii* formam omnino deesse, et *hii* prorsus eadem vi qua *hi* usurpari. Neque igitur *hi* solum ad *hic*, *hii* ad *is* pronomen referre ullo modo licere. Tamen consuetudinem qua *hii* scribebant ex *ii* formae recordatione ortam esse sive ex confusione casuum *hi* et *ii*: cui iudicio subscribere non haesitamus.

Quibus rebus cognitis iam non dubitandum est, quin praeter *ii* et *i* etiam *ei* a nominativo *hi* quasi absorptum sit. Neque formam *ei* facile conservari potuisse etiam ex observationibus quas de nominativo plur. feminini generis instituemus satis nobis apparebit.

1) Qui ad saec. VII recedunt, v. Bonnet, Le Latin de Grégoire de Tours, Paris 1890, p. 17.

2) M. Bonnet, Le latin, p. 386 sqq.

Numeravimus enim in Digestorum codice Florentino circiter 125 *hae*, quorum paene 50 (47 numeravi) ante relativum posita sunt: cf. I XXIX, 25; p. 24, 19; 24, 23[1]); 25, 18; 90, 18; 186, 33; 200, 29; 310, 29; 310, 32; 420, 3; 428, 23; 462, 6 (*hae'c'* F); 605, 26; 609, 26; 641, 14; 731, 5; 732, 23; 741, 26; 777, 42; 890, 32; 894, 10 (*'h'ae* F^2); p. 894, 10.

II 26, 13; 75, 39; 100, 19; 127, 36; 140, 1; 150, 3 (*hae'c'* F^b); 207, 20; 271, 8; 276, 5; 310, 39; 320, 2 (*haec* F^1); 323, 11; 324, 3; 326, 7; 361, 15; 411, 38; 460, 3 (om. F^a); 490, 26; 575, 10 (*'h'ae* F^2); 575, 11 (*'h'ae* F^2); 625, 5; 631, 17 (*hae'c'* F^2); 651, 21; 768, 37; 934, 29.[2])

Praeterea his locis m. s *haec*, quod traditum est, in *hae* emendandum: I 174, 8 *haec* FP *heae* U; I 540, 15 *haec quoque* (*hae* em. f.); II 252, 10 *hae actiones quae*] *haec* F, quibus locis Mommsen *hae* in textu posuit; I 525, 33 *haec* F; II 323, 10 *haec* F, pro quo *hae* scribendum esse Mommsen in inferiore margine conicit.[3])

Eae in cod. F non aliis nisi his locis repperimus:

I 279, 36 (*heae* FU **ae* P^a *hae* P^b); I 658, 29 *eae cognationes quae*] *ex ea* V^a inc. P^a; II 391, 36 *eaeque* F; II 767, 3 *'ha'eaeque* F^2.

1) H. l. Mommsen in apparatu critico adnotat: *ea*] *haeae* PVU, quamquam in textu *hae* scribit. Videtur errasse.

2) Certe aliquot locis *hae* ante relativum etiam secundum optimum dicendi usum defendi potest: tamen tales quoque affero ne quidquam errore omissum esse dicatur.

3) Fortasse etiam I p. 14, 31, ubi legitur: *haec sunt quas . . . constitutiones appellamus*, *hae* corrigendum est. Saepissime enim *hae* et *haec*, *hi* et *hic* et similia confunduntur: cf. I 4, 1. I 174, 8. 229, 25. I 258, 19. I 264, 8. I 269, 33. I 305, 9. I 540, 15. I 600, 5. I 617, 27. I 719, 14. II 24, 19. II 462, 6. II 641, 16: ubi in codd. errore *haec* pro *hae*, sive I XXXXVIII, 31. I 131, 22: ubi *hae* pro *haec* scriptum erat. Cf. etiam I 317, 34 *hi'c'* F^2, I 615, 32 *hi* F *hic* PU^a etc. Ceterum non dubium, quin forma *haec*, quam pro *hae* in vulgari sermone adhibitam esse constat — cf. e. g. codicem Lugdunensem —, in his libris a librariis repudietur. Itaque paucis illis locis, ubi *haec* in *hae* corrigere obliti sunt, verum restituere nostrum est.

Videmus simili modo quo *hi* et *ei* etiam *hae* et *eae* unam vocem factam esse ex duabus: ad quam significandam sufficiebat *hae*.

Pauci enim illi loci, ubi purum et integrum *eae* traditur — sunt non plures quam duo — contra poni minime possunt, quippe quibus nullam formarum differentiam fuisse potius confirmetur et corroboretur. Quamquam haud ignoro ad pronomen *idem* non alium nominativum plur. fem. gen. nisi *eaedem* pertinere, quem quidem his locis scriptum vidi: I 583, 7. 852, 33 II 19, 3. 648, 11. Tamen secundum ea quae de illa forma rettulimus non debet dubitari, quin *eae* et *hae* prorsus eodem modo enuntiata sint: aliter enim non intellegitur, qua de causa et altera forma paene interciderit et altera longe alia ratione atque ceterae eiusdem pronominis formae, praecipue ante relativum, sit usurpata.

Consentiunt autem cum hac observatione ea quae in ceteris codicibus scripta vidi.

In codice enim Tiliano formam *eae* non alio nisi hoc loco traditam vidi: p. 1493 *eae feminae*, sed cod. 11 *hee*, 15. *he*, 50. 51. *hae*; p. 1383 autem *heae* scriptum: *heae personae quae*, sed in ceteris codd. (ut videtur) *hae*. Ceteris locis *hae*, etiam ante relativum, scriptum est: cf. p. 885 *hae causae*; p. 953 *omnes hae*; p. 840 *hae quas* (codd. 6. 7. 9. 10. 18. 19. 20 *haee*).

His respectis confirmatur iam in hoc codice formas in unum coiisse; neque dubium est quin *hae* omnino praeoptata fuerit et fere sola in deliciis habita. Ceterum urgueo nullo loco *eae* codicum consensu esse traditum: itaque nos quidem illud *eae* in *hae* confidenter emendabimus.

Deinde de libris sacris referendum est: in quibus *eae* nusquam scriptum vidi.

Ceterum in novi testamenti interpretationibus ne *hae* quidem forma usquam usurpata esse videtur.

Collegi enim hos locos, quibus *hae* scriptum est:

e Pari palimps. Wirceburg.:

Hos. 2, 12 (p. 247) *merces hae*; Ez. 42, 13 (p. 362) *hae sunt exhaedrae*; Ez. 48, 29 (p. 373) *hae distributiones*; Ez. 48, 30 (p. 373) *hae emissiones*.

In cod. Lugdunensi *hae* legitur: Gen. 31, 43; Ex. 28, 4; Num. 26, 34; Num. 26, 37; Num. 26, 42; Num. 31, 17.

Saepius *haec* forma scripta est (ad eundem casum idemque genus femin. exprimendum): Lev. 26, 46; Num. 3, 27; Num. 3, 33; Num. 4, 31; Num. 26, 7; Num. 26, 22; Num. 26, 25; 18; 47; 37; Num. 26, 50; 58; Num. 31, 16.

Semel eodem sensu *heae*: Gen. 26, 34 *heae duae*. Ceterum nullo loco relativum sequitur.

Accedunt in Pentat. fragm. Monacens.: Num. 31, 14 sq. (p. 55ᵃ) *Hae enim*; Num. 36, 12 sq. (p. 63ᵇ) *Hae*...; Deut. 28, 1 sq. (p. 71ᵃ) *benedictiones hae*.

Haec pauca quidem, quamquam ab his librariis formam *eae* consulto repudiari non satis evincunt, certe tamen cum Digestorum usu quem adumbravi optime congruunt. Quem usum illis temporibus ab omnibus librariis esse receptum eo verisimile fit, quod M. Bonnet etiam de Gregorii Turonensis latinitate (p. 384 sqq.) similia docuit: videmus enim etiam in his libris, qui ab eis quos tractavi multum distant, saepius *hae*, numquam *eae* adhibitum[1], i. e. forma *hae* etiam formae *eae* vice fungitur. Quod factum esse propterea quia in ipsa pronuntiatione concinebant supra planum fecimus. Iam quaenam huius confusionis causae fuisse mihi videantur nonnullis explicandum est.

Animadvertimus enim, in Digestis imprimis, occasione data non raro et litteram *e* ante vocalem omissam et — quamvis id quidem rarius — eandem litteram vocali antepositam esse, ubi aut nihil aut *h* scribendum erat. Quales errores totiens inveniuntur, ut haec menda fortuita esse non possint, sed cum cotidiano enuntiandi usu cohaerere manifestum sit. Quod exemplis aliquot e magno numero delectis illustrare mihi liceat.

His enim Digestorum locis *e* littera ante vocalem elisa est:

II 86, 27 *m̀e'a* F^b; II 164, 37 *exerc̀e'at* F^2; II 677, 41 *spond̀e'o* F^2? II 701, 36 *m̀e'o* F^2?; II 774, 10 *persuadat* F (pro *-eat*) etc.

1) Cf. p. 384: „*Le nom. masc. et fem. plur.* (sc. pronominis *is*) *n'existe pas; il est remplacé par hi et hae.*

Maioris momenti est, quod eadem res in pronominis *is* formis non raro invenitur. Cf.:

I XXIII, 39 *ant`e'a* $F^2$; I 43, 31 *duci `e'um* F^2; I 46, 36 *aduersus `e'a* $F^2$; I 98, 3 *res `e'arum* F^2; I 129, 6 *pati `e'i* $F^2$; I 138, 5 *respondi `e'atenus* F^2; I 142, 37 *aduers`us e'os* $F^2$; I 153, 31 *de `e'a* F^2; I 377, 15 *condici `e'i* $F^2$ (dat.); I 380, 6 *me `e'um* F^2; I 510, 6 *indemnem `e'u`m'* F^2; I 539, 28 *ali`i e'a* $F^{2 \text{ aut } b}$; I 817, 3 *ad `e'um* F^b; I 837, 4 *coniunctim `e'os* $F^2$; II 128, 14 *in `e'a* F^b; II 236, 9 *rogasse `e'am* $F^2$?; II 250, 16 *quoque a lege* (pro *ea lege*) F; II 256, 15 *meam, `e'o* F^b; II 264, 5 *post`e'a* $F^2$; II 264, 35 *respondit ea*] *a* F; II 294, 28 *frater `e'ius* F^2; II 314, 30 *ad `e'ius* $F^2$; II 339, 3 *eo `e'aue* F^2; II 355, 31 *patre solo*] *soro* F^1 *odem* (pro *eodem*) F^2; II 362, 11 *filius `e'orum* $F^2$; II 375, 41 *est `e'o* F^2; II 376, 1 *generaliter `e'i* $F^2$; II 382, 6 *de `e'a* F^2; II 401, 23 *de `e'o* $F^b$; II 448, 34 *uti `e'am* F^2; II 487, 24 *et `e'o* $F^b$; II 541, 7 *de `e'o* F^2; II 548, 1 *me `e'um* $F^2$; II 595, 14 *aestiua ea quae*] *aqua* $F^2$; II 742, 35 *uini `e'asque* F^b; II 880, 32 *uendere `e'a* F^2; II 899, 14 *per eum*] *rerum* F^1.

Conferendum etiam II 371, 15 *bonorum possessione*] *bonorum* F^a *bonis eorum* F^b.

Denique has deteriorum codicum lectiones affero: I 357, 36 *ex odem* PU pro *ex eodem*; II 30, 25 *uter orum* E pro *eorum*; I 442, 27 *acceperit idem* P^a pro *eidem* (dat.); II 26, 23 *et idem* D pro *eidem* (dat.).

Ex altera parte non paucis locis *e* littera vocali falso anteposita est, e quibus hos affero:

I XXIII, 5 *de'e'o* F: I 1,11 *quid'e'am* F; I 10, 25 *tempor'e'a* F: I 15, 9 *omne 'e'ius* (= *ius*) F: I 26, 16 *'h'abeonunandum* F^b *abhonunandum* F^2 (= *abominandum*); I 42, 23 *idem 'e'ius* F (= *ius*); I 256, 37 *at qu'e'od* F; I 291, 31 *uulner'e'assent* F: I 306, 25 *ex'e'arati* F; II 155, 1 *aur'e'o* F^2; II 244, 12 *seeius* F; II 292, 15 *diuid'e'at* F^2; II 334, 16 *auit'e'orum* F^b; II 406, 22 *disputation'e'um* F^b; II 499, 25 et 29 *laque'e'um* F^b; II 575, 14 *uill'e'as* F^b.

Aliis locis etiam pro *h* littera ante vocalem *e* scripta est, cf.: II 352, 28 *eomerum* F^a pro *Homerum*; II 892, 35 *eostes* F^1 pro *hostes* (cf. etiam I 26, 16, quod supra attuli).

Addamus denique hos locos ubi pronomini *is* falso littera *e* anteposita: II 172, 12 *'e'is* F^b. II 513, 23 *'e'is* F^2. II 549, 28 *'e'is* F^2 pro nom. sg. (paulo ante pro eadem forma *his*); II 956, 11 *eis* F^1 *his* F^2 pro n. sg. m.; cf. denique I 157, 27 *idem* (neutr.)] *eidem* P.

Similia in cod. Tiliano inveniuntur, cf. p. 1098 (adnot. *e*): cod. 4 *ea*, sed rubr. col. em. *a*, pro *a*; p. 1299 (adn. *y*) cod. 4 *Eomerita* pro *Homerita*.

Apparet ex hac collatione litteram *e* ante vocalem elisione[1]) sublatam sive potius tam leniter elatam esse, ut facile dubitari posset, utrum ea vocalibus anteponenda sit necne.

Ceterum ea res etiam eis locis comprobatur ubi *i* littera ante vocalem aut omissa aut falso scripta est. Illis enim temporibus *i* et *e* litterae paululum inter se distabant[2]); quod, ut alia omittam, e sescentis scriptionis erroribus efficere licet. Conferas, ut cod. Florentino utamur, hos locos ubi *e* pro *i* scriptum: II 542, 25. II 548, 39 etc. ubi *que* pro *qui* exaratum; II 598, 41. II 801, 14 *se* F^1 pro *si*; I 221, 20. I 545, 29. II 122, 42. II 123, 40. 42. 47. II 132, 31. 32 etc. *doleis* pro *doliis*, similia saepissime.

Item *i* pro *e* scriptum: II 809, 9. II 824, 39 *si* pro *se* multaque alia.

Imprimis autem ei loci notabiles sunt, quibus in pronominis *is* formis pro *e* falso *i* positum est.

Affero I 594, 40 *iidem* F^a pro *eidem* (dat.); I 710, 30 *ii* F^a pro *ei* (dat.); II 785, 36 *ium* F^a pro *eum*; II 822, 30 *io* F^1 pro *eo*; II 859, 40 *et eam*] F^1 *etiam* F^2[3]); II 888, 1 *hii* F^a pro *ei* (dat.), cf. cod. Lugd. Lev. XI, 14 *et hii similia* (= ὅμοια αὐτῷ, paulo post saepius recte *ei similia*).

Confirmatur talibus erroribus — quorum multo maiorem numerum afferre possumus — paene idem valere eos locos, ubi librarios de *i* littera ante vocalem ponenda errare videmus,

1) Cf. Schuchardt, Der Vocalismus des Vulgärlateins, I p. 463 sqq., ubi nonnulla exempla afferuntur.
2) Cf. Seelmann, Aussprache p. 187.
3) Cf. de his Birtius in Mus. Rhen. t. 52 supplem. p. 8 adn. 1.

atque ubi de *e* littera agitur. Itaque non inepte hae scribendi rationes conferuntur:

a) ubi *i* ante vocalem omissum:

I 31, 16; I 110, 20; 361, 34 multisque aliis locis *qua* pro *quia* (prim. man.); I 49, 22 *dem* F^1 pro *diem*: II 519, 12 *dei* F pro *diei*; II 868, 36. II 865, 34 *d`i'e* $F^2$; I 290, 38 *ardent`i'a* F^2; II 137, 6 *brev`i'ariis* $F^b$; II 353, 32 *proxim`i'ores* F^b (idem non raro in formis comparativis); II 398, 2 *perven`i'at* $F^2$; II 401, 17 *des`i'erit* F^b: II 457, 25 *serv`i'us* $F^2$; II 489, 35 *ill`i'us* F^b: II 785, 28 *infam`i'am* F^b etc.

b) *i* falso ante vocalem scriptum:

I 50, 18 *miss`i'o* F; II 361, 5 *au`i'unculus* F^b: II 371, 5 *possess`i'or* $F^b$; II 424, 32 *serv`i'us* F^b; II 608, 32 *indivis`i'o* $F^2$; II 644, 6 *uindic`i'o* F^b; II 784, 26 *a`i'ocupletioribus* $F^b$ (pro *a locupl.*); II 801, 39 *milit`i'um* F^b; II 866, 12 *quiasi* F.

Denique e codice Tiliano affero:

p. 1368 bis *mensum* pro *mensium*; p. 1504 *abectis* pro *abiectis* scriptum.

Ita percipitur quomodo factum sit ut *hae*, in qua voce *h* iam diu mutum erat, et *eae* formae ad extremum omnino distingui desinerent ita, ut una scribendi ratio sufficeret.[1])

Quibus de litterae *e* ante vocalem positae natura observatis etiam *horum* et *eorum*, *harum* et *earum*, *hos* et *eos*, *has* et *eas* formas — ut *hi* et *ei*, *his* et *eis* omittam — similiter confusas esse exspectamus. Quod interdum re vera factum esse exemplis aliquot planum facere licet: cf. Dig. I 155, 17 *eorum* F^{ab} PLU *horum* F^2; II 324, 38 *has*] *eas* F^a; II 359, 7 *horum*] *eorum* F^a; II 366, 6 *eos*] F^1 *hos* F^2; II 818, 20 *eos*] *hos* F^2?.[2])

Addo deteriorum codicum eius modi lectiones nonnullas varias: I 5, 17 *eos*] *hos* R; I 267, 6 *eorum*] *horum* P; II 30, 25 *eorum*] *orum* E *horum* K; II 43, 15 *eos*] *hos* I.

---

1) Similem „synizesin" iam apud Plautum, ut hunc afferam, observare licet: cf. Mostell. v. 192 et 463 ubi *deae* formam monosyllabam esse metro confirmatur; multaque similia.

2) Paulo aliter hic primae et alterius manus dissensus videtur interpretandus esse: I 155, 17 *sententiae* || *orum*] F^a *sententiae horum* F^2.

Non neglegendi denique hi loci: II 875, 76 *hodie*] *eodie* F^1; II 882, 4 *eandem*] *handem* F^a.

Atque fortasse nonnullos alios locos suspectos reddere possumus, veluti II 759, 37 *horum qui*; II 773, 3 *hos qui*, ubi pronominis *is* formae videntur esse aptiores.

Cf. etiam cod. Lugd. Num. 17, 49: *praeter hos qui mortui sunt* (= *χωρὶς τῶν τεθνηκότων*).

Sed tales loci rarissimi. Neque enim dubium, quin illae de quibus in proximis egi pronominum formae diligentissime inter se disiungi soleant.

Itaque hac quam adhuc praestiti interpretatione nondum satis explicatur, cur potissimum casus *eae* et *hae* prorsus in unam vocem quasi confluxerint. Verum enim vero alia huius confusionis causa accessisse videtur. De qua haec conicimus.

Constat enim iam ante illa saecula, in quibus maxime haec disputatio substitit, duplicem vocalem saepissime per „synizesin" in unam contractam esse. Quam rem, quod ad litteram *i* attinet, multis exemplis allatis supra abunde confirmavimus.

Addo pauca, quae forte notavi: Dig. II 98, 8 *tu`u'm* F^b (= *tuum*), idem saepius.

Cf. Pentat. fragm. Monac. p. 43, 7 *proximū tum* (= *tuum*); p. 68 b. 26 *deus tus* (cf. p. 71, 15; 71, 22; 72, 26 etc.); Dig. II 124, 20 *fetu`u'm* F^2; Pent. fragm. Mon. saepius *mortus* (pro *mortuus*); contra *uu* pro *u*: Pent. fragm. Mon. p. 35 a; 36 a; 44 a *suum* pro *sum* etc. (ceterae vocales geminatae in sermone Latino rarissimae).

Iam vero etiam pro *eae* illo aevo sine dubio enuntiaverant *ee* — etenim diphthongus *ae* suam naturam dudum exuerat — nascebaturque bisyllabum ex una vocali bis posita: ad quam synizesin applicari vulgari sermoni familiarem et contractionis lege *ē* monosyllabum efferri paene necessarium fuit. Ita fieri potuit, ut *hae* et *eae* formae prorsus confunderentur, contra aliae pronominum formae, quippe quae paulo plus inter se distarent, rarissime commiscerentur. Sine dubio igitur, priusquam pro *hae* et *eae* unum quod est *hae* tolerari coeptum est, aliquando *hae* et *eae* — eodem modo quo *hi* et *ei* — prorsus eadem vi ex libidine usurpata atque commixta sunt,

quod exemplis comprobare licet. Invenitur enim talis perturbatio in Gai institutionibus codice Veronensi traditis, ut iterum hoc exemplo illustri utar; cf. quae Studemund in apographi indice (p. 318 sqq. s. v. *hae* et *hic et is* n. 5) de illis formis rettulerit: *pro eae* [*uel hae*] (*nom. plur. fem.*) *scriptum est ae ... heae ..*; *conf. hae*, et paulo ante: *hae* (*nom. sg. fem.*) *uulgo.*

Studemund igitur adnotat in palimpsesto et *ae* et *heae* interdum positum esse. Quam utramque scripturam et ad *hae* et ad *eae* referri posse manifestum est. Quibus scribendi rationibus optime illustratur librarios inter duas illas formas pronominales *hae* et *eae* fluctuare. Eandem scribendi varietatem dubitatione quadam ortam etiam postea interdum nescio cur servatam videmus, de qua re quae supra attulimus conferenda.

Haec de *hae* et *eae* formarum confusione sufficiant. Quibus docemur non solum formas *ii* (*i*) et *iis is* sed etiam *ei* et *eis* — licet scriptura *ei* et *eis* etiam postea, ut vidimus, separatim propagata sit — certe tamen illis de quibus agimus temporibus iamdudum a *hi* et *his* formis segregari desitas esse. Elucet enim ex observationibus quas proposui *e* litteram, quam litterae *i* simillimam fuisse supra attigimus, cum *i* littera subsequente necessario in unam *i* vocalem longam coiisse. Neque igitur dubitari potest quin etiam *eis* et *his* formae, quamquam in mss. consulto inter se disiungi videntur, cotidiano sermone una eademque ratione enuntiati sint, quod iam secundum ea quae de *ei* et *hi*, de *eae* et *hae* formis constant, quas et ipsas coaluisse videmus, flagitari dixeris. Atque hoc ita esse multis locis supra allatis, ubi et *eis* pro *his* et *his* pro *eis* a librariis emendata videmus, satis comprobatur: cf. Dig. II 855, 34 '*inde his*' *inde eis* F², ubi neglegentia, ut videtur, eadem bis scripta. Certe altera forma pron. per errorem intercurrit, quod fieri vix potuit nisi his duabus scribendi rationibus una tantum vox significabatur. Multique alii scribendi errores, e quibus memorabiles supra attulimus, huic rei testimonio sunt.

Denique in memoriam nobis reducimus iam ante Digestorum tempora *is* et *hic* pronomina ita permixta esse, veluti in Gai

libro (cf. Studemundi indic. p. 319 et huius dissertationis p. 24 sq.) — quamquam hac una re nondum satis evinceretur *eis* formam cum *iis is* et *his* porsus in enuntiando confusam esse atque in unam vocem coiise: itaque etiam alia argumenta, quibus usus sum, necessaria fuerunt.[1]

Quibus rebus cognitis exspectamus has duas formas, quae in unam coierant, eodem modo quo gemellas reliquas *ei* et *hi*, *eae* et *hae*, omni titubatione sublata, una tantum scribendi ratione a librariis exprimi. Quam exspectationem non expleri eis quae supra p. 27 sqq. attulimus docemur. Nam in libris iuridicialibus et sacris interpretationibus, in quibus ad nominativum plur. masc. et fem. significandum aliae scribendi rationes praeter *hi* et *hae* tanta cura repudiantur, tamen non solum *his* regnat, sed etiam *eis* scriptura locum suum retinuit neque exstirpata est. Iam vero videntur *his* et *eis* diversa vi usurpari. Quam ego differentiam sermonis quo illis temporibus homines utebantur consuetudini respondisse non credo; immo valuit hac in re aliquid grammaticorum nescio quorum doctrinae et artium praeceptum, quo librarii etiam repugnante vivida lingua *eis* ab *his* distinguere iubebantur. Id quod non

1) Nam cur non factum esse potest, ut *his* forma, ubi ad *is* pronomen trahebatur, tamen solummodo pro *iis* sive *is*, nusquam autem pro *eis* usurparetur? Nam quid obstat quominus haec forma *eis*, praeter illud *iis* (*is*), quasi eiusdem casus altera forma (quam nostri grammatici „satzdoppelform“ dicere solent) servata sit? Itaque *his* non pro *eis*, sed pro *iis* tantum irrepsisse dixerim. Fortasse etiam praeter *iis* (*is*) sive *his* forma quae est *eis*, quae accurate formis *ea eius ei* (dat) *eum eam eo ea, ea eorum earum eos eas* respondebat (etiam in enuntiando), vel propterea necessaria erat quod quasi „paradigma“ illo casu non facile carebat (i. e. ea de causa quam nos „systemzwang“ dicimus). Hoc modo formam *eis* re vera separatim servatam esse quamquam minime asseveramus, certe tamen concludimus ex hac deliberatione illud argumentum — scilicet iam ante codicum tempora pronominum confusionem quandam animadverti — non sufficere ad confirmandum *eis* et *his* (*iis is*) formas iampridem in unam vocem coiisse. Itaque etiam hac de causa alia illa argumentatione quae ex observationibus de enuntiando institutis manaret opus fuit, minime igitur alienum fuit qnod e scriptionis proprietatibus collegimus in enuntiando vocularum de quibus agitur distinctionem servari nullo modo potuisse.

solum ipsa re commendatur, sed etiam eis quae de ratione qua *his* et *eis* inter se disiunguntur observavimus optime confirmatur. Iam leges proponam secundum quas in omnibus scriptis libris quos adhibui, utra forma usurpanda sit, diiudicatur: Solet enim *his*, non *eis* scribi: 1) si pronomen ad rem praesentem sive ante oculos versantem pertinet, 2) si in enuntiationis initio ponitur.

Quae duae leges vix interpretatione indigent, quippe quae etiam in ceterarum formarum pronominalium usu exerceri soleant.

Ceterae autem novae sunt; nam *eis* etiam repudiatur: 3) si pronomen cum substantivo coniungitur, 4) si ad enuntiatum relativum spectat, quae reliquo horum pronominum usui certe non respondent.

Iam vero hae leges satis diligenter in libris coluntur. Exempla si proponere vellem, manus non sufficerent ad transscribendum. Itaque eos potius paucos locos proferam ubi eas neglectas viderim.

His igitur Digestorum locis ante relativum *eis* scriptum est: I 59, 10; I 247, 9; I 290, 30; I 325, 16; I 330, 29; I 648, 21; I 755, 13; I 756, 10; I 856, 12 (*eis*] F[1] *his* F[2]); I 899, 5 (*eis*] *eos* F[1]); II 28, 12; II 103, 21; II 142, 22; II 145, 17; II 200, 41; II 258, 21 (*e't'is* F[2]); II 325, 29; II 484, 3 (*ei's'* F[2]); II 775, 34; II 829, 34; II 845, 28; II 901, 12; II 909, 6; II 909, 7; II 910, 14; II 917, 4; II 920, 1; II 949, 5; II 949, 5 (*'e'is* F[2]).

Inter hos locos nonnulli eo magis offensioni sunt quod pronomen simul etiam cum substantivo coniunctum est. Sunt enim hi: II 145, 17; II 901, 12; II 910, 14; II 920, 1; II 949, 5. Praeterea *eis* cum substantivo coniunctum videmus Dig. I 583, 18 *eis servitutibus* F (sed PVU *his*).[1])

Itaque hi quidem loci cum legibus quas statuimus sane certant. Sed haud raro facile est ad perspiciendum, qua re

1) Non huc pertinere videtur II 860, 39 ubi pro *insulisque eis* cum Mommseno *insulisque eius* substituendum esse verisimillimum est. Cf. II 883, 33 *ei'u's* F[2] aliosque locos quibus idem scribendi error occurrit. De ceteris formis inusitatis cum enuntiatis relativis coniunctis cf. huius disputationis p. 28.

librarii ad *eis* scribendum inducti sint, veluti ibi ubi paulo ante aut paulo post pronominis *is* forma quae ab *e* littera incipit, usurpata est: cf. II 258, 21 *ei uel eis* (cf. contra e. g. II 28, 13 *ei aut his quibus*); II 775, 34 *ne eas quidem quae eis fiunt, quos eorum*. Neque mirum est correctorem falso supplevisse sive emendasse hos locos: I 899, 5 (*eis*] *eos* F[1]); II 258, 21 (*e't'is* F[2]); II 484, 3 (*ei's'* F[2]); II 949, 5 (*'e'is*).

Denique adnoto horum locorum multos una manu scriptos esse. Cuius manus scripturam Mommsenus rudem esse dicit (cf. quae de manu IX p. XXVII iudicavit). Eo facilius intellegitur librarium illo modo nonnumquam erravisse.[1])

Tales scribendi errores — sine dubio enim pleraeque eiusmodi exceptiones librarii alicuius errore sive neglegentia ortae sunt — etiam e ceteris libris afferre liceat. Conferas igitur Codicis Tiliani editionis p. 1503 (XVI 2, 35) et p. 1615 (XVI 10, 9) ubi cod. Til. *eis qui*.

Deinde in libris sacris cum illa consuetudine hi loci certant:

1) Cod. Fuld. Joh. 17, 20 (p. 145) *Non pro his autem rogo tantum. sed et pro eis qui credituri sunt* (= τῶν πιστευόντων) *per verbum eorum in me* (ubi *eis* fortasse quodammodo defendi potest, quod *his* formae contrapositum est); Hebr. 2, 3 (p, 314) *eis qui audierunt* (= τῶν ἀκουσάντων); Hebr. 2, 18 (p. 314) *eis qui temptantur* (= τοῖς πειραζομένοις); I Joh. 2, 26 (p. 423) *eis qui seducunt vos* (= τῶν πλανώντων ὑμᾶς) (in Am. *his*).

Deinde cf. hos argumentorum etc. locos: p. 176 = cap. testim. de ep. ad Rom; p. 231 = brev. Cor. II; p. 232 = brev. Cor. II; p. 281 = brev. Thess. II; p. 427 = brev. Joh. II: ubi *eis* ante relativum.

2) Cod. Amiatin. Marc. 2, 26 (p. 66) *eis qui cum eo erant* (= τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσιν) (desunt in Fuld.); Joh. 17, 20

1) Ceterum in editionis Mommsenianae priore parte non alia nisi I. II. III. VI manu (cf. praef. p. XXVI) *eis qui* scriptum est. Manus IV. V. XI. XII in hac parte nusquam eam lectionem exhibent. Quo exemplo docemur non librarios defuisse qui illas leges orthographicas sine exceptione observarent.

(p. 177) *eis qui credituri sunt* (= cod. Fuld.); Hebr. 2, 3 (p. 355) *eis qui audierunt* (= cod. Fuld.); Hebr. 2, 18 (p. 256) *eis qui temptantur* (= cod. Fuld.).

In capitul. argum. etc.: p. 237 = cap. in omn. ep.; p. 282 = cap. ad Cor. II; p. 283 = cap. ad Cor. II; p. 331 = cap. ad Thess. II *eis qui*.

Videmus in argumentis et sim., quae neglegentius quam textum sacrum ipsum tradita esse facile est ad intelligendum, illarum exceptionum frequentiam multo maiorem esse quam in textu ipso; qua re confirmatur scribendi rationes quae a consuetudine abhorrent plerumque nulla re nisi socordia ortas esse.

Denique e versionibus ante Hieronymum factis hos locos affero:

Par. Pal. Wirceburg: Jerem. 23, 17 (p. 301) *eis qui abigunt* (= *τοῖς ἀπωθουμένοις*) (praeterea bis *iis qui* scriptum esse notavimus p. 31).

Cod. Lugd.: Lev. 11, 4 *eis qui non ructuant rumigationem* (*τῶν ἀναγόντων μηρυκισμόν*); et ibid. *eis quae non praesecant* (= *ὀνυχιζόντων*).

Pentat. fragm. Monac.: Lev. 28, 26 sqq. (p. 41 b, 14) *gentib. eisqu[i ante vos fuerunt]* (*ἔθνεσι τοῖς πρὸ ὑμῶν*).[1])

Cod. Aur. Holm.: Marc. 2, 26 (p. 129) *eis qui cum eo erant* (= cod. Am. [desunt in Fuld.] = Ev. Monac. = Vindob.); Joh. 17, 20 *eis qui credituri sunt* (= cod. Fuld. = Am.).

Ev. cod. Monac.: Mt. 25, 41 *et eis qui ad sinistram sunt* (= *τοῖς ἐξ εὐωνύμων*); Joh. 2, 16 *et eis qui vendebant* (= *τοῖς πωλοῦσιν*); Joh. 6, 13 *eis qui manducaverant* (= *τοῖς βεβρωκόσιν*); Joh. 17, 9 *pro eis quos mihi dedisti* (*περὶ ὧν δέδωκάς μοι*); Luc. 22, 56 *et hic de eis est qui cum ipso erant* (= cod. Vind.; respondent ea his: *καὶ οὗτος σὺν αὐτῷ ἦν*). Hieron. versiones et cod. Aur. *et hic cum illo erat*) (cf. Luc. 23, 14 *ex is quibus* et Luc. 18, 23 *Is ille auditis* quae supra attulimus).

Luc. et Marc. fragm. Vindob.: Luc. 12, 4 sq. *eis qui occidunt* (*τῶν ἀποκτεινόντων*); Luc. 22, 56 *eis qui cum ipso*

1) Lev. 11, 33, p. 34 a, 25 non videtur huc pertinere.

erant (cf. cod. Ev. Mon.); Mr. 2, 26 *eis qui cum illo erant* (cf. cod. Aur.).

Ep. Paulin. fragm. Frising: Hebr. 6, 7 *eis qui eam colunt* (mendose pro *ἐκείνοις δι᾽ οὓς καὶ γεωργεῖται*. Vers. Hier. *his propter quos colitur*, ita Amiatinus; sed Fuld. *illis a quibus colitur*); Hebr. 9, 28 *eis qui . . sustinent* (*τοῖς ἀπεκδεχομένοις*. Hier. versiones *exspectantibus*).

Hi loci, quamquam eorum pauci, veluti Joh. 17, 20, Hebr. 6, 7, quodammodo defendi possunt, tamen librariorum consuetudini supra descriptae repugnant. Ceterum ex his exceptionibus nihil concludi licet nisi, quod saepissime diximus, illarum formarum differentiam quamvis in libris tamen numquam in sermone fuisse. Neque vero hi loci ei argumento esse possunt, qui forte illas leges non datas exercitasque esse sustinere velit: quod eorum locorum ubi re vera observatae sunt amplissimo numero (de qua re p. 27 sqq. disputavimus) satis refutatur. Suntque pro testimonio etiam emendationes quaedam quas secundum illas scribendi leges fecerunt librarii: cf. Dig. 856, 12, ubi ante relativum *eis* in *his* emendatum aliosque illos locos (quos p. 27 attuli), ubi *his* forma ante relativum per correcturam restituta est.

Haec igitur, ut totius argumentationis summam faciamus, ex librorum usu observato apparere nobis videntur: certe ante saeculum V *hi* et *ei* (*ii i*), *hae* et *eae*, *his* et *eis* (*iis is*) in sermone prorsus in unam coiisse; qua re in illis formis scribendis summam perturbationem ortam, eam vero quinto fere saeculo eo modo sublatam esse, ut pro binis nominativis singulas tantum formas et *hi* et *hae* scribere, ad dativum autem sive ablativum plur. significandum alias scribendi rationes nisi aut *his* aut *eis* repudiare, has vero duas formas secundum leges quasdam a docto nescio quo datas et supra enarratas seiungere consuescerent librarii. Hanc consuetudinem saeculis V. VI. VII viguisse est demonstratum.

Quae cum ita sint, dubium esse non potest, qua ratione ista pronomina in libris qui illis ipsis temporibus conscripti sunt

edendis et recensendis aut probanda aut emendanda sint. Apertum enim est nullas scribendi rationes praeter *hi*, *hae*, aut *his* aut *eis* tolerandas esse, *eis* formam repudiandam esse ubi usui supra descripto repugnat.

Hunc vero linguae usum vereor equidem ne primus detexerim. Certe eorum qui eiusmodi libros ediderunt adhuc nemo cognovisse videtur, neque mihi notus est qui haec ita se habere aperte docuerit. Itaque non mirum est in editionibus quas citavi esse, ubi in demonstrativis erratum esse a viris doctis contenderim.

In Digestorum enim clarissima editione Mommseniana, ut hoc exemplo iterum utar, nonnullas lectiones quas cum librariorum consuetudine certant probatas videmus.

His enim locis M. codicem Florentinum secutus *eae* formam recepit: I p. 279, 36; I 658, 29; II 391, 36; II 676, 3 (*'hae' aeque* F^2) (cf. huius disput. p. 45), quibus locis *hae* emendandum est.[1])

Et his quidem locis Mommsen codicis Florentini auctoritate quodammodo excusatur. Sed ne hac quidem re videtur ille mihi defendi alibi ubi de dativo sive ablativo plur. agitur. Vereor enim ne editor in his formis sine certo consilio rem gesserit, imprimis ubi eiusmodi forma per antiquum correctorem mutata est. Videmus enim eum quasi ex libidine modo primae manus lectionem, modo correcturam comprobare.

His enim locis primam manum sequitur: I 856, 12 *eis qui*] F^1 *his* F^2; I 605, 1 *iis*] F^1 *his* F^2; II 387, 26 *is*] *his* F^2 (quibus locis nos quidem correcturam praeferendam esse censemus); I 652, 30] *eis*] *his* F^2; II 770, 28 *his et*] F^1 *eis* F^2 (contra quas lectiones ipsas nihil dici potest).

His autem locis ab eo correctura probata est: I 791, 41 *his*] *eis* F^1; I 933, 18 *his*] *eis* F^1; II 918, 24 *eis*] *his* F^a; II 933, 18 *his*] *eis* F^1; I 33, 39 *'e'is* F; I 125, 21 *'e'is* F^2; I 455, 15 *'e'i's'* F^2 (Mo. *eis*); II 949, 5 *'e'is quas* F^2; I 257, 25 *'h'is* F^2; II 147, 27 *'h'isque* F^2; II 418, 6 *'h'is* F^b; II 647, 11 *'h'is* F^b; II 660, 33 *'h'is* F^2.

1) I 309, 34: *Si quae sunt cautiones hereditariae, eas iudex curare debet ut apud eum maneant.* Mo proponit sub textu: *eae*, sed m. s. correctura non opus.

Qui loci quamquam (praeter I 856, 12. I 605, 1. II 387, 26. II 949, 5) librariorum consuetudini non repugnare videntur, tamen qua de causa horum nonnullis correctura, aliis autem primae manus lectio recepta sit, non intellegitur.

Deinde hos locos affero, ubi M. quod traditum erat mutare ausus est: cf. I 629, 10; I 636, 21; I 756, 9; I 36, 22; II 125, 12; II 658, 21; II 849, 5. II 851, 6. His omnibus locis editor pro *his* quod codice F traditum *is* substituit. Cf. II 646, 28 ubi *his* F, *iis* Mo.; II 647, 18; II 684, 27; II 704, 13 quibus locis Mo. pro codicis F lectione *is* in ed. *iis* (II 468, 21 Mo. pro *is* : *iis* scribendum esse in margine infima conicit).

His denique locis pro *is*, cod. F tradito, *his* scribit, quod probandum: sed cur non, ut hoc afferam, etiam I 313, 38 *is quos*, quod in cod. F legitur, in *his quos* correxit?

II 109, 26 pro *ihis quos*, quod F^2 recte in *his* mutavit, *iis* Mo. scribit, quod sine dubio reiciendum.[1])

Denique eas lectiones a Mommseno in textum receptas affero, quae quamquam codice F, sine correctura, traditae sunt, secundum illa librariorum scribendi praecepta emendandae esse nobis videntur: cf. I 583, 18 ubi *eis servitutibus* in editione probatum, m. s. vero *his* corrigendum est.

Praeterea conferas eos locos, p. 27 sq. allatos, ubi et *is* et *iis* sine correctura scriptum (praeter I 245, 3; II 78, 34; II 200, 12), et ubi *eis* ante relativum sine correctura in cod. F traditum est.

Omnibus his locis nostra sententia partim *his*, partim fortasse *eis* pro tradita lectione substituendum est: quod quoniam tota hac disputatione satis confirmatur accuratius explicare non opus est.

Haec hactenus. Quaecumque vero huc usque disserui, ea ad eum solum pertinent, qui librum antiquum saeculis fere quinto vel sexto vel septimo p. Chr. n. conscriptum editurus

1) Ceterum similes loci, ubi pro *hi* syllaba *ihi* calami lapsu (cf. supra p. 27 adn. 3) scriptum est, saepius inveniuntur: cf. I 80, 21 *quam hi*] *qua mihi* F; II 254, 41 *'i'hi* F; II 374, 32 *ad'i'hibet* F; cf. etiam II 124, 38 *'ih'illa* F pro *illa*.

est. Superest quaestio multo intricatior cuique me satisfacturum esse — quibusdam de causis, quarum aliquot in huius disputationis initio significavi — vix spero. Quamnam scilicet in demonstrativis legem editor sequi debet, qui aut Iustinum aut Tacitum aut Plinium et Celsum aut adeo Ciceronem rhetoremque illum ad Herennium recensendum sibi sumpsit?

Certe tamen nonnumquam etiam in libris classicae aetatis edendis et recensendis illa praecepta quibus librarii a quinto saeculo paruerunt cognovisse ex usu fore expectamus. Nam eorum longe plerosque codicibus post illa tempora exaratis traditos atque multorum archetypos illis ipsis saeculis V—VII scriptos esse constat. Ita fieri non potuit quin librarii etiam in libris classicis describendis occasione data novum illum scribendi usum quem sequi didicerant etiam contra aetatis classicae consuetudinem sequerentur easque formas quae illi usui sufficiebant substituerent, i. e. quin interdum pro *ei*: *hi* describerent, pro *eae*: *hae*, pro *eis*: *his* ubi *eis* aut ad relativum spectabat (aut in enuntiationis initio positum) aut substantivo additum erat. Unde efficitur apud scriptores classicos *hi* et *hae* formas omnino, *his* formam (aut in initio positam) aut cum substantivo aut cum relativo coniunctam, ubi prorsus contra antiquiorem dicendi consuetudinem usurpatae sunt, suspectas esse et fortasse emendandas. Itaque e. g. editores illi supra memorati, qui ante relativum apud scriptores optimae latinitatis *his* scribi non patiuntur, laudandi sunt.

Neque tamen ea res accuratius explicari poterit, priusquam ex operibus aliquot optima illa aetate conpositis omnes loci quibus formae pronominales a scriptoris usu abhorrere videntur collecti et comparati erunt.

Itaque Vitruvii de architectura libros — ad alios enim praeter hos accurate perscrutandos tempus non suppetebat — illo tandem modo perlegere et excutere mihi visum est.[1])

1) Ignotum mihi non est nuper denuo extitisse qui Vitruvium non Augusti aetati, sed saeculo tertio demum vel ad•o quinto adscriberet (cf. J. L. Ussing, Betragtninger over Vitruvii de arch., Kopenhagen 1896). Cui tamen opinationi vix quisquam erit qui subscribat; cf. e. g. quae contra dixit F. Krohn in Berliner philol. Wochenschrift t. XVII p. 773 sqq.

Quorum librorum codices mss. (praeter Schlettstadtiensem nuper inventum) potissimi sunt H(arleianus), s. XI scriptus, omnium antiquissimus; G(udianus), s. XI scriptus, qui alterum archetypi exemplum praebet: cf. quae Valentinus Rose et Hermannus Mueller-Struebing in Vitruvii editionis criticae Lipsiis anno MDCCCLXVII emissae praef. p. III et VI iudicaverint.

Horum librorum archetypum illis temporibus vel paulo post illa tempora, quibus regulas supra descriptas vigere vidimus, exaratum esse ex eis quae editores l. c. docent concludere licet. Quam ob rem locos aliquot occursuros esse, quos librarii ne illas regulas violarent commutavisse videantur, magnam spem habemus.

Neque omnino sine fructu Vitruvii libros pervestigavi. Qua pervestigatione quae invenerim, nonnullis explicanda sunt.

In codicibus enim non raro illas formas ita usurpatas videmus, ut cum Vitruvii usu discrepent. Inter quos locos suspectos ei excellunt, quibus demonstrativum ad relativum quod sequitur spectat.

De his igitur, quoniam in tali structura utrum pronomen scriptoris consuetudini respondeat facillime perspicitur, primum disputemus.

Sed priusquam quascumque eiusmodi lectiones in codd. invenerimus afferamus, praefandum est eas non solum scriptorum Augusteorum, sed etiam Vitruvii ipsius usui repugnare, quod comprobare opus est: nam pronominibus *hic* et *is* ille non eadem vi ac ratione uti videtur, qua aequales eius clariores. Audet enim, ut hoc exemplo utar, compluries pronomen *is* etiam ad rem praesentem oculisque subiectam significandam adhibere; cf. (Rosianae editionis) p. 1, 15 *ea tibi ederem* pro *haec*; item p. 11, 1 *ea volumina*; p. 62, 8 *eorum praeceptorum*; p. 218, 14 *ea volumina*; p. 158, 9 *id profero corpus* (pronomen his locis ad librum ipsum quem conscribit, spectat); p. 282, 22: *id populo dedit munus* (haec muneri ipsi inscripta esse narrat).

Hic pronominum usus sine dubio cum eo, quem scriptores classici sequuntur, dissentit. Minime igitur constare dixeris

Vitruvium aequales secutum ante relativum nullum nisi *is* pronomen sibi concessisse.

Itaque ea res accurate nobis exploranda fuit. Animadvertimus autem — ut eos locos quibus *hi hae his* scriptum est excipiam — Vitruvium ubique quibuscumque locis illam structuram usurpat, i. e. saepius quam c e n t i e s pronominis *is* formis usum esse.

Fortasse aliquis hos locos contra afferet: p. 44, 25: *Sed haec omnia, quae mollia sunt*; et 83, 3: *Haec autem quae erunt contra columnas.* Tamen hi loci sane defendi possunt. Nam utroque loco *haec* ad rem quae antecedit referre licet. Altero enim loco, 44, 25, illa *haec omnia quae mollia sunt* m. s. ad paulo ante scripta spectant: *sunt enim aliae* (sc. lapidicinae) *molles* ...; altero loco, 83, 3, *haec quae erunt contra columnas* ad verba, quae antecedunt, spectare mihi videntur: *capita leonina ... disposita ita, uti contra columnas singulas primum sint designata.* Tamen Ciceronem, ut hunc conferam, ita non loqui concedo. Is enim talibus locis pronomine *ille* usus esset, quod noster repudiare sive paene ignorare videtur.[1])

Comprobatum igitur est pronominis *hic* formam ita ante relativum positam, ut cum sermonis Tulliani consuetudine dissentiat — cf. ea quae in huius disputatiunculae initio disputavimus — etiam a Vitruvii dicendi usu abhorrere. Itaque non dubium est quin lectiones traditae quae sequuntur cum Vitruvii usu discrepent: a) p. 26, 26: *hi qui ... noverunt* (ita G H^c; H ante rasur. *hii*); p. 117, 17: *hi autem qui sunt* (GH). b) p. 40, 17: *hae quae sunt recentes* (ita H; *hęc* G). c) p. 11, 1: *his qui sunt .. lecturi*; p. 16, 14 *ex his quae non sunt animalia*; p. 17, 8 *his regionibus quae*; p. 18, 24 *in his locis quibus*;

1) Cf. I. Praun, Bemerkungen zur Syntax des Vitruv, Bamberg 1885, p. 84: *Überhaupt kann nichts überraschender sein als ein Vergleich zwischen der Frequenz von* *i s* *und* *i l l e*. *Wenn wir annehmen,* *i s* *finde sich auf jeder Seite des Textes fünfmal, was nicht zu hoch gegriffen ist, so ergiebt dies an 1400 Stellen* (cf. quae paulo infra referemus). *Dieser ungeheuren Zahl stehen (mit Abrechnung der geänderten Stelle 259, 18) fünf Stellen mit* *i l l e* *gegenüber. Das Verhältnis 1 : 280 dürfte wohl beispiellos sein.* *i s t e* *vollends ist nur 26, 1 überliefert.*

p. 34, 21 *Haec autem ex his quae supra scripta sunt originibus instituta esse* ...; p. 59, 4 *his municipalibus qui*; p. 100, 6 *modulis his qui a* (codd.: *qua*) *magnitudine ... postulabuntur*; p. 133, 26 *ab his qui ... notitiam habent*; p. 145, 15 *his qui communi sunt fortuna*; p. 179, 22 *ex his locis qui sunt proximi*; 192, 16 *in his locis quae sunt supra*; p. 196, 19 *in his locis et ea terra quibus nascitur.*[1])

Omnes hae lectiones nullo modo excusari possunt. Itaque his locis cum editoribus pronominis *hic* in pronominis *is* formas corrigere non dubitamus. Et licet corrigere; nam ex observationibus nostris non solum librarios in tali structura *his* sive *hi* et *hae* formas pro formis quae ad *is* pertinent saepissime substituisse effectum est, sed etiam qua re commoti hoc fecissent satis apparuit.

His emendationibus quas iam editores ipsi praestiterunt nos nonnullas addere posse confidimus. Animadvertimus enim insuper duos locos, quibus *his* traditum est, cum Vitruvii consuetudine quadam dissentire. De qua nonnullis disputemus.

Est enim hoc Vitruvii proprium, ut ad substantivum quod antecedit denuo significandum idem substantivum pronomine demonstrativo auctum iterum adhibeat etiam ibi, ubi sine vi ac pondere substantivum ponitur.

Huius rei exempla sunt: p. 69, 15 *hae columnae*, paulo ante *senas columnas*; p. 118, 14 *earum columnarum*, paulo ante *columnae*; p. 29, 1 *haec linea*, p. 148, 15 *ea linea*: paulo ante *linea* memorata. Apparet iam ex his exemplis utrumque pronomen et *hic* et *is* ad illam quam indicavi dicendi rationem adhiberi. Neque hac in re discrimen pronominum agnosci posse videtur. Iam vero formas pronominales cum substantivis coniunctas etiam bis et saepius poni et quasi coacervari videmus, cf. p. 187, ubi *is locus* et p. 205, ubi *ea aqua* compluries scripta sunt.

Ex huiusmodi locis efficitur accurate examinatis pronomen *hic* talibus locis non saepius quam s e m e l neque alio quam p r i m o loco, *is* autem s e m p e r et ubicumque ita usurpari posse.

1) 36, 7 et 174, 2: *his* ante relat. positum, quod ad rem antecedentem aptissime referri potest, cum editoribus probamus.

Conicio huius differentiae hanc causam esse: pronomine *hic*, si in tali repetitione etiam altero sive sequenti loco poneretur, i. e. loco quo res non demonstratur sed lenissime significatur, nimia gravitas tribueretur substantivo. Vis igitur demonstrativa pronominis *hic* in Vitruvii sermone videtur etiam tum nimia esse vel certe maior quam pronominis *is*.

Huius rei exempla perspicua sunt et hoc: p. 199, 15 *haec aqua*, v. 21 autem *ea aqua*, et reliqua in quibus *is* iam primo loco usurpatum: cf. p. 50, 10 *ea aqua*, v. 11 *eius fontis*, v. 17 *eum fontem*, v. 22 *ea aqua*; p. 118, 14. 17. 21 *earum columnarum*; p. 124, 9. 22 *eae ambulationes* (v. 22 G: *hae!*); p. 187, 6. 8. 12 13. 15. 17. 18. 21 *is locus*; p. 201, 1. 4 bis *eum fontem*; p. 203, 11. 16 bis *ea terra*; p. 205, 5. 6. 8. 9 *ea aqua*; p. 213, 21 *eius quadrati*, v. 25 *in eo quadrato*; p. 220, 3. 5 *ea signa*; p. 264, 3 *in eoque tympano*, v. 6 *eius tympani*, v. 8 *in eo tympano*; p. 277, 10 *ei machinae*, v. 10 *eae machinae*.[1])

Huic Vitruvii consuetudini repugnant: p. 150, 17 *in his hospitalibus*, quamquam v. 9 *in ea hospitalia* antecedit et 46, 4 *his lapidicinis*, quod idem paulo ante, 45, 24, iam legitur.

Quam discrepantiam utroque loco emendatione tollere licet, quoniam *his* ante substantivum positum est, ubi pro *eis* (*iis is*) facillime substitui potuisse supra demonstravimus.

Eadem emendatione nonnullos alios locos indigere, quia cum alia sermonis Vitruviani consuetudine dissentiunt ex his effici potest. Vitruvius enim ante *que* particulam pronominis *hic* formas repudiare solet. Invenimus enim in eius libris 75 fere pronominis *is* formas quibus *que* adhaeret, nullas autem pronominis *hic* formas nisi, paucis locis, *his* et *hi*: cf. p. 166, 6 *hique asseres*; p. 167, 4 *In hisque* (in enuntiationis initio); p. 191, 3 *ab hisque paludibus*.

Iam etiam has lectiones cum scribendi legibus posterioris aetatis congruere vides. Conicere igitur licet in archetypo *hi* et *his* a librario e pronominis *is* formis correcta esse, quippe

---

1) Itaque is qui p. 235, 15 pro *circinationem* : *eam lineam* scribendum esse coniecit, certe rectum pronomen proposuit. Paulo ante enim eadem *linea* iam *haec linea* significatur (v. 13).

qui et semper *hi* (cf. 166, 6) et *his* in enuntiationis initio (cf. 167, 4) aut ante substantivum (cf. 191, 3) scribere consueverit. Ita nihil impedit quominus locis indicatis secundum Vitruvii consuetudinem pronominis *is* formas restituamus.

Ceterum illa quam dixi librariorum consuetudo etiam plus valuit in Vitruvio. Nam etiam alibi ante substantivum *his* pro *eis* in archetypo falso scriptum esse ex his observationibus concludere licet.

Pronominum enim cum substantivis coniunctorum longe maior pars, quod exspectamus, ad substantivum quod antecedit spectat: pronomine enim adhibito hoc substantivum aut iteratur aut alia voce simili expletur — cuius rei exempla p. 63 sq. allata conferas —; qua in structura Vitruvium saepissime pronomine *is*, rarius pronomine *hic* uti animadvertimus. Numeravimus enim plures quam 300 pronominis *is* formas ea quam dixi ratione cum substantivis coniunctas, pronomen *hic* autem non saepius quam 170^{iens} hoc modo usurpatum vidimus. Iam vero, quamquam formarum quae ad *is* pertinent numerus alterum longe exsuperat, tamen multo saepius *his* quam *eis* traditum est. Numeravimus pronominis *hic* formas fere 170; inter eas forma *his* numerum 100 complet atque excedit; contra inter pronominis *is* formas, quas saepius quam 300^{iens} extare dixi, nullos dativos sive ablativos num. plur. vidi nisi tres *eis*: cf. 90, 15 *ex eis originibus*; 122, 25 *ex eis partibus*; 140, 24 *in eis generibus*. Id est: *eis* fere semel inter centenas, *his* semel inter binas sui generis formas occurrit.

Sed Vitruvius sine dubio et *eis* formam ab *his* seiungebat et ceteros casus pronominis *is* pronomini *hic* praeferre solebat. Eundem — non solum in illa de qua nunc agimus structura, sed omnino — *eis* formam paene repudiasse non credibile est.

Invenimus scilicet in toto opere paulo plures quam 510 formas quae ad *hic* pertinent, inter quas paulo saepius quam 230^{iens} *his* scriptum est, paene 1300 autem pronominis *is* formas, inter quas non amplius quam 16^{iens} dat.-abl. (14 *eis*, 2 *is*) codicum GH consensu traditur.

His numeris collatis adducimur ut contendamus: locorum, quibus in codicibus *his* traditum est, aliquam certe partem a

librariis corruptam esse. Qua re scribendi regulas quas saeculo fere V invaluisse docui etiam in libris classicae aetatis describendis non raro adhibitas eoque lectiones genuinas mutatas esse optime confirmatur.

Denique eos Vitruvii locos affero, quibus codices G et H inter se discrepant: cf. p. 34, 23 *ex his rebus*] *ʰiis* H *his* G, ubi editores *his* praeferunt, quod non probamus. Nam cur ante substantivum *his* pro *iis* substitutum sit, intellegimus, non. cur *iis* pro *his*. Neque umquam *his* in *eis* formam mutatam esse vidimus. Itaque nos quidem *iis*, quod in hunc locum optime quadrat, scribendum esse conicimus.

Deinde conferas p. 282, 10 *Is ita constitutis*] H, *his* G. H. l. codicis H lectio ab editoribus probata, quod laudamus. *His* enim codicis G sive eius parentis (quem ex eodem codice ex quo H descriptum esse V. Rose in praef. docet) correctura videtur esse, quae fortasse inde nata est, quod in enuntiationis initio *is* forma aetate archetypi Vitruviani non tolerabatur.

De ceteris locis dubitari non potest: cf. 37, 27 *et aeae* (ante corr.) H, *et hae* G (H^c); 40, 23 *eae* H, *hae* G; 48, 23 *quae — eae* H, *hae* G, *ᵉhae* G^c; 55, 22 *Ea autem* H (pro *eae*), *hae* G; 124, 9 *eae ambulationes* H, *hae* G; 124, 22 *eae ambulationes* H, *hae* G; 125, 26 *eaeque* H, *haeque* G; 129, 13 *eae structurae quae* H, *hae* G; 139, 18 *atque eae* H, *hae* G; 149, 22 *eae domus* H, *hę domus* G; 164, 2 *ut eae* H, *hę* G; 170, 3 *eae partes* H, *hae* G; 179, 12 *Eae autem officinae* H, *hee* G; 186, 25 *eae inventiones* H, *hae* G; 214, 11 *eaeque regulae* H, *haeque* G; 222, 13 *eae stellae* H, *hae* G; 227, 4 *eae partes* H, *hae* G; 277, 10 *eae machinae* H, *hae* G.

His locis sine dubio cum editoribus *eae*, in codice H servatum, legendum esse ex eis quae de librariorum usu observavimus satis apparet.

Sane enim etiam in hoc codice, quamvis non ante s. XI exarato, illae regulae, quae saeculis V—VII colebantur, adhibitae esse possunt. Docet enim V. Rose (p. VI) hunc codicem *intercedentem eruditi emendatoris operam prodere, eius quidem qui saec. circiter VIII Vitruvium edidisset.*

Ceterum codicis H lectiones modo enumeratae etiam ea re commendantur, quod nonnullis locis non *eae*, sed *hae* cum Vitruvii usu supra descripto discrepat (cf. p. 129, 13, ante relativum; p. 125, 26. 214, 11: ante *que* particulam).

Denique p. 284, 18 conferimus: *eae victoriae* H, *hae victoriae* G, pro *ea victoria*, quo loco postquam *eae* pro *ea* lapsu calami in archetypo scriptum erat, G sive potius eius parentem *eae* consulto in *hae* mutavisse manifestum est.

Quare denuo confirmatur in libris classicae aetatis describendis saepissime librarios *hi hae his* pro pronominis *is* formis substituisse, rarissime vero viam iniisse contrariam.

Scriptor de vita sua.

Natus sum, Hans Carl Ziegel, anno MDCCCLXXIV a. d. VI Id. Octobr., Carolo Ziegel et Martha e gente de Janowsky parentibus, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Patria mea est Schwerin ad Warthe flumen sita, in cuius oppidi gymnasio pater, qui nunc scholis Soldinensibus praeest, tum mathematicam pueros docebat. Primis litterarum elementis in schola Soldinensi imbutus et imprimis e patris ipsius optima disciplina profectus sum; mox anni MDCCCLXXXVI mense Octobr. contiigt mihi ut in gymnasii Ioachimici Berolinensis alumnorum numerum reciperer. In hac schola clarissima, quam per sex annos frequentavi, a nemine cum maiore fructu litteris eruditus atque ad humanitatem informatus sum quam a Carolo Bardt, gymnasii rectore peritissimo, cuius egregia institutione per biennium ita usus sum, ut quantum ei debeam numquam obliturus sim.

Absoluta hac schola maturitatis testimonio instructus autumno anni MDCCCLXLII ut me litterarum studiis traderem Regiomontum migravi ubi civium academicorum numero ascriptus his magistris usus sum: Ieep, Ludwich, Schade, Iohanne Schmidt †, Thiele.

Sed iam ineunte aestate sequentis anni, alma matre Albertina relicta, Marpurgum me contuli, in qua urbe inde ab illo tempore usque adhuc studiorum causa versatus sum uno semenstri excepto: per hiemem enim inde a mense Octobr. anni MDCCCLXLIV in Academia Jenensi horum virorum doctorum scholis operam dedi: Erhardt, Goetz, Hirzel, Kauffmann. Per idem tempus seminarii philologi a Georgio Goetz et Rudolfo Hirzel gubernati sodalis extraordinarius fui.

Per reliqua septem semenstria quibus almae matris Philippinae alumnum me fuisse dixi, ab his viris doctis institutus sum: Bergmann, Birt, Cohen, Dieterich, Koester, Kuehnemann, Maass, Niese, Schroeder, Guil. Schulze, Wissowa, Wrede. In seminario philologo, cuius sodalis ordinarius per duo semenstria fui, Birtio et Maassio ducibus libros antiquos interpretatus sum, in seminario Germanico a Schroedero et Koestero sum eruditus.

Omnibus his viris doctissimis permultam debeo gratiam. Ante ceteros autem Theodorum Birt, magistrum venerabilem, quem non solum studiis meis assidue summa indulgentia ac promptissimo animo moderatum esse, sed etiam hanc ipsam dissertatiunculam eximiae curae sibi habuisse grato animo profiteor, quoad vivam pietate colam.